DE VERSUUM IN CANTICIS TERENTIANIS CONSECUTIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE II M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXIX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS SCHLEE

MARCHICUS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

MAXIMILIANUS WALLIES, DR. PHIL.
RUDOLPHUS SYDOW, STUD. PHIL.
MAXIMILIANUS ROTHSTEIN, STUD. PHIL.

BEROLINI.

TYPIS J. DRAEGER (C. FEICHT).

MDCCCLXXIX.

EDUARDO SCHULTIO

DOCTORI PHILOSOPHIAE

SACRUM.

Quibus legibus in Terentianis comoediis numeri mutati sint, adhuc valde dubium est. Veteres grammatici de numeri mutatione pauca et ea satis incerta tradiderunt: Marius Victorinus in art. gram. libr. II haec verba dicit (pg. 78 K): »*prologos et primarum scaenarum actus trimetris comprehenderunt, deinde longissimos id est tetrametros subdiderunt, qui appellantur quadrati. postea in sequentibus variaverunt. modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est semipede adiecto vel integro pede iambo vel sesquipede. haec per medios actus varie. rursus in exitu fabularum quadratos, quales diximus in secunda scaena, locaverunt.*« Primus inter recentiores homines artis metricae peritos Bentleius leges quasdam, quibus mutatio numeri regeretur, recte perspexit, neque tamen eis copiis, quibus uti ei licebat, totam quaestionem absolvere potuit. Post Bentleium Hermannus numeri mutationem in permultis scaenis ex continuatione trochaici numeri explicare conatus est: sed hanc rationem posteriores improbaverunt, postquam librorum fontibus diligenter exhaustis versus, qui ex continuatione numeri trochaici profecti sunt, librorum auctoritate parum confirmari cognoverunt. Nostra denique aetate duo viri docti de numero in Terentianis fabulis mutato disseruerunt, B. Bornius et C. Conradtius. Uterque vir de hac quaestione optime meritus est: Bornius primus rectam viam aperuit, cum ex nonnullis scaenis numeri mutationes diligenter congessit et inter se comparavit[1]). Conradtius vero primus discrimen, quod inter continuatos et variatos versus interest, recte intellexit[2]) atque in continuatis versibus de numeri mutatione saepe numero

1) Magdeburger schulprogr. v. j. 1868.

2) Die metr. composition der com. des Ter. Berl. 1876.

vere iudicavit: in variatis autem versibus prorsus falsam viam ingressus omnem numeri mutationem ad tres partes, stropham, antistropham, epodum revocavit, quas partes doctissimus vir cum saepe periculosissimis artibus effecerit, ab ipso Terentio institutas esse mihi non persuasit. Itaque nos in ea quam Bornius monstravit via longius progressi in variatis versibus quae numeri essent mutationes quaeve versuum consecutiones, ut per vires nostras inexercitatas licuerat, indagare studuimus.

Sed priusquam ad ipsam rem aggrediamur, duae quaestiones, in quibus quasi fundamenta ipsius rei iacta sunt, praemittendae videntur esse, altera qua eae fabularum partes, quas variatos versus nominamus, definiantur, altera qua librorum in versibus distinguendis fides et auctoritas examinentur.

Cap. I.

Veteres grammatici in comoediis duo membra posita esse tradunt, cantica et diverbia: Diom. pg. 491 K, Ruf. de metr. Ter. pg. 557 K, M. Vict. pg. 79 K, Don. in praeff. Andr., Eun., Phorm., Hec., quibuscum consentit Livius VII. 2. Atque in Plauti libris Pal. cantica littera C, diverbia litteris DV aliquoties significantur, quas litteras Ritschelius diligenter persecutus eas fabularum partes, quae senariis inclusae sunt, diverbia, reliquas partes cantica esse comprobavit[1]). Cantica autem in duo genera dividenda sunt: in priore genere versus sicut senarii in diverbiis repetuntur, in altero versus variantur. Atque in Plautinis comoediis utrique canticorum generi littera C apposita erat, in Terentianis autem comoediis suis quodque genus distinctum videtur esse litteris, e quibus litteras alterius generis ad nostram memoriam servatas esse putaverim. Donatus enim in praefat. Adelph. tradit nonnullis scaenis litteras M. M. C. (= mutatis modis cantanda) praepositas esse: et veri simillimum est, quae cantica modis mutatis temperabantur, ea etiam versibus variatis coercita esse: nescio

[1]) Mus. Rhen. XXVI. pg. 599 sq.

igitur an optimo iure cantica, in quibus variati versus insunt, illis litteris M. M. C. notata esse putemus. At vero in libris Terentianis, qui nunc extant, harum litterarum nullum vestigium est.

Quoniam igitur cantica, quae variatis versibus inclusa sunt, nullis litteris in libris Terentianis definiuntur, nobis ipsis fines illorum canticorum circumscribendi sunt. Conradtius l. l. pg. 13 recte animadvertit, versus ubicumque variati essent, inde a scaenarum initiis variari coeptos esse. Neque tamen variati versus usque ad exitus scaenarum perduci solent, sed plerumque per medias et extremas scaenas continuati versus leguntur: itaque plurimum interest cognoscere, ubi versus variari desinant, continuari incipiant.

Atque in permultis scaenis poeta ubi a variatis versibus ad continuatos descendit, ad novam quoque fabulae actionem progressus est: nam aut personam in scaenam producit: Andr. II. 1. 18, Hec. III. 1. 34, Hec. V. 4. 14, aut personam e scaena abducit: Andr. III. 2. 8, Eun. II. 1. 18, Haut. III. 3. 29, Ad. II. 1. 21, aut personam, quae ab actoribus non conspecta in scaena aderat atque clandestino verba faciebat, ex latibulo in conspectum provocat: Andr. I. 2. 12, Andr. I. 5. 32, Eun. II. 3. 13, Eun. III. 5. 9, Phorm. I. 4. 18, Phorm. II. 1. 22, Phorm. III. 2. 18, Ad. III. 2. 22.

Ex quibus scaenis Conradtius quattuor: Andr. I. 2, Eun. II. 3, Eun. III. 5, Hec. III. 1, ut tres canticorum partes probabiles efficeret, aliis finibus circumscripsit et in Andr. I. 2 variatos versus vers. 24, in Eun. II. 3 vers. 15, in Eun. III. 5 vers. 27, in Hec. III. 1 vers. 12 terminandos esse censuit. Atque in Andr. I. 2 primum iambici ac trochaici versus inter se variantur ad vers. 12: deinde iambici octonarii subsequuntur, qui usque ad exitum scaenae continuantur. Semel hi octonarii interpositis tribus senariis (25—27) interrumpuntur. Quae versuum interruptio si ad leges variatorum versuum referenda erit, variati versus necessario post senarios (25—27), sin ex legibus continuatorum versuum explicari poterit, variati versus probabiliter ante continuatos iambicos octonarios, i. e. ante vers. 12, finiendi erunt. Atque cum poeta saepius in conti-

nuatis versibus ea verba, quae alia voce ab histrione pronuntiari volebat, etiam aliis versibus distinxerit (cf. Andr. III. 2. 17—18, Andr. IV. 1. 39—40, Eun. II. 3. 30—31, Eun. IV. 6. 15—16), non est, quod hos senarios variatis versibus adnumeremus. Quae cum ita sint, probabile videtur variatos versus vers. 11 finiri, post quem iambici octonarii continuari incipiunt: atque cum post eundem versum actionis quoque pars, quantulacumque est, finiatur, veri simillimum est variatos versus ultra vers. 11 a poeta productos non esse.

In Eunuchi scaena III. 5 trochaici septenarii et iambici septenarii et iambici octonarii ab initio ad vers. 13 inter se variantur: deinde iambici octonarii ad vers. 43, tum iambici septenarii ad vers. 66 continuantur. Conradtius, ne tertia pars cantico deesset, variatos versus ad vers. 27, qui in mediis iambicis octonariis legitur, perducendos esse censet. Sed si metricam compositionem contemplamur, variati versus post versum 13, ubi iambici octonarii ordiuntur, si actionem progredientem respicimus, ante versum 9, ubi ad aliam partem actionis transitur, finiendi esse nobis videntur. Constat autem eos versus, quibus ad novam actionis partem transitur, saepius propriis numeris a poeta inclusos esse. Quare probabiliter versus in hac scaena ita distribuemus, ut versus 1—8 variatos, 9—13 in transitu positos, qui post 13 sequuntur, continuatos esse dicamus. Eadem ratione etiam in Eunuchi scaena II. 3 versus 1—12 inter se variati, 13—15 in transitu collocati, qui inde a vers. 16 sequuntur, continuati videntur esse.

In Hecyrae III. 1 scaena trochaici octonarii et septenarii usque inter se ad versum 12 permiscentur, deinde iambici octonarii ad versum 44 continuantur, tum duo soliloquia, quorum suis quodque numeris includitur, adiciuntur. Conradtius in hac scaena haud improbabiliter cantici sui partes ante versum 13 terminavit, unde iambici octonarii ordiuntur. Sed hoc loco nulla actionis mutatio occurrit. Atqui in mediis iambicis octonariis post versum 33 actio mutatur, ubi Pamphilus et Parmeno Myrrhinae et Philumenae exclamationibus auditis ad extremam scaenam regrediuntur, quo facilius quae in Phidippi domo gerantur auribus percipiant. Quamobrem

si in sequenti quaestione ostendi potest iambicos octonarios, qui a versu 13 incipiunt, cum antecedentibus trochaicis octonariis et septenariis arte copulandos esse, non dubitamus in hac scaena varios numeros usque ad versum 33 producere, ut cum actione mutata etiam versuum compositio mutetur.

Atque his omnibus locis fines variatorum versuum et ex ipsa fabulae natura ordineque et ex versuum deinceps sequentium usu ac ratione profecti sunt. Sed aliae scaenae extant, in quibus variatorum versuum fines nisi ex sola versuum consecutione dispici non possunt: nam aut nulla actionis mutatio in illis scaenis fit, aut si qua fit, iam in primo initio occurrit nec multum ad sermonis colorem immutandum valet (Haut. I. 2. 5, Hec. IV. 1. 6, Hec. V 1. 5, Eun. IV. 3. 8, Phorm. V. 1. 12, Andr. IV. 1. 15). Nihilo secius confinium variatorum et continuatorum versuum patet, cum poeta, postquam variatos versus in initio scaenae instituit, versum qui inter variatos non occurrit perpetuavit: Andr. IV. 1. 31, Phorm. V. 1. 21, Hec. II. 1. 20, Hec. V. 1. 22: neque minus confinium patet in Eun. IV. 6. 13, Haut. I. 2. 14, Phorm. I. 3. 12, Hec. IV. 1. 32, Ad. IV. 4. 17, in quibus scaenis poeta versum qui antea variatis insertus est continuavit.

At Conradtius in Eun. IV. 6 scaena variatos versus ad versum 14 produxit. In initio huius scaenae et octonarius et dimeter et septenarius trochaicus et octonarius iambicus usque ad versum 12 inter se miscentur. Tum per reliquam scaenae partem trochaici septenarii continuantur, qui interiectis duobus septenariis iambicis (vers. 15 et 16) dirimuntur. Atque ut in Andriae I. 2 scaena iambici octonarii perpetuati senariis interrupti sunt (cf. pg. 3), ita in hac quoque scaena perpetuati trochaici septenarii iambicis septenariis intercipiuntur, qui cum alia voce pronunciandi sint, etiam aliis numeris a poeta includuntur. Quare ut in Andriae scaena ante continuatos iambicos octonarios, ita in hac Eunuchi scaena ante continuatos trochaicos septenarios, i. e. ante vers. 13, variatos versus finiemus.

Septem denique scaenae restant, quarum quaeque usque ad exitum variatis versibus inclusa est: Eun. IV. 1, Eun. IV. 3,

Haut. V. 3, Phorm. III. 1, Hec. IV. 3, Ad. III. 1, Ad. IV. 1. In Phormionis scaena III. 1 Conradtius versibus qui in exitu variantur inter se exaequatis variatos versus in media scaena post versum 6 terminari voluit, ubi nonnulla actionis mutatio occurrit: Geta enim erum suum alloquitur, in cuius conspectum usque ad versum 7 non venerat. Sed multo gravior actionis mutatio ante versum 20 est, ubi Phaedria e lenonis domo egressus ab eis, qui in scaena adsunt, conspicitur. Et quoniam usque ad hunc versum 20 in omnibus libris versus variantur, libris fidem habebimus variatosque versus ad vers. 20, i. e. ad exitum scaenae, a poeta productos esse putabimus.

Cap. II.

Aggredimur ad alteram quam nobis proposuimus quaestionem, qua fide libri versus distinxerint. Tres extant libri, e quibus, qui versus scribendi sint, cognosci potest: A. Bembinus, P. Parisinus, F. Ambrosianus, in quorum primo semper, plerumque in altero, saepe in tertio distinctio metrica servata est. Sed ut in verbis, ita in versibus librarii aut erroribus inducti aut falsis rationibus decepti multimodis peccaverunt. Nostrum est in ea errata animum intendere, quibus recte cognitis rationem inveniamus, qua loci similiter depravati probabiliter emendentur.

Ac Bembini codicis librarius in versibus scribendis haud raro id videtur egisse, ut versum cum versu aut antecedenti aut subsequenti exaequaret. Unde in perpetuatis versibus factum est, ut antecedenti versui caput sequentis versus annecteretur: in senariis: Eun. II. 3. 34, Phorm. V. 9. 7, Ad. I. 1. 12, in septenariis: Eun. II. 2. 11, 25, 31, Eun. V. 4. 36, Haut. V. 1. 79, Phorm. V. 6. 11, in octonariis: Eun. II. 3. 76.

Eandem ob causam librarius caudam versus aliquoties capiti sequentis versus praefixit: Eun. III. 5. 21, 25, 26, Eun. IV. 7. 4, Phorm. III. 3. 26, Phorm. V. 2. 9, Ad. II. 4. 17, 18, 19, Ad. IV. 2. 21.

Neque enim veri est simile librarium propter membranatum angustias illos versus circumcidisse, quoniam versus, qui

longiores erant, quam ut uno versu comprehenderet, dissecare solitus est (cf. Umpfenb. praef. pg. VIII.).

Quater tantum suo Marte longiore versu diviso breviores versus efficere ausus est: Eun. II. 3. 65, 66, Phorm. II. 2. 8, Hec. V. 2. 1.

Paullo saepius librarius versus deformavit, cum verba, quae sensu cum priore, metro cum posteriore versu coniungenda erant, ad exitum prioris versus agglutinavit, id quod semper fere fecit, ubi in sequenti versu primum verbum vi interpunctionis a ceteris verbis seiunctum est: Eun. II. 3. 88, Eun III. 2. 43, 51, Eun. III. 3. 27, Eun. III. 5. 64, Eun. IV. 4. 1, Eun. IV. 7. 23, Eun. V. 8. 18, 21, 31, Phorm. I. 4. 19, Hec. III. 4. 9, Ad. I. 1. 55, Ad. IV. 7. 6, Ad. V. 1. 2 (a corr. rec.). Interdum etiam verba, quae sensu cum sequenti versu, metro cum antecedenti copulanda erant, capiti sequentis versus praeposuit, velut interiectionem *ah* Phorm. II. 2. 11. Nec minus coniunctiones ab exitu versus remotas initio sequentis versus praefixit: Eun. II. 2. 29, Eun. II. 3. 58, Ad. I. 1. 30, Ad. III. 3. 21, Ad. III. 4. 19 (corr. rec.), quas coniunctiones nonnulli editores, praesertim Fleckeisenus, in exitu versus reponere dubitaverunt. Fleckeiseno Conradtius in Herm. 1876 pg. 106 astipulatus est erudita sensus subtilitate magis quam cauto animi iudicio ductus, quo leges ex versibus, non versus ex legibus dentur necesse est. Etenim coniunctiones in finibus versuum omnibus libris traduntur (A. P. F.): Eun. V. 4. 4, Haut. II. 3. 63, Haut. III. 2. 10, Haut. III. 3. 34, Phorm. I. 2. 7, Hec. III. 3. 27, Ad. I. 1. 13, Ad. II. 2. 9, solis A. P. libris: Eun. I. 2. 41, Eun. II. 1. 11, solis F. P. libris: Ad. I. 1. 30, Ad. III. 3, 21, Ad. III. 4. 19, solo A. libro: Hec. I. 2. 3, Eun. II. 3. 71, Eun. V. 2. 34, solo P. libro: Andr. I. 1. 24, Andr. I. 3. 21, Andr. III. 3. 28, Eun. II. 2. 29, Hec. V. 4. 37. Ex quo numero ei versus ab editoribus vexati non sunt, qui exeunt in *quia*: Eun. I. 2. 41, nec ei, qui exeunt in *uti*: Haut. II. 3. 63, Hec. I. 2. 3, Hec. III. 3. 27. Immo coniunctionem *quin* etiam Fleckeisenus et Conradtius adversus omnes libros in exitu versus posuerunt: Haut. III. 3. 20. Sed si *uti* in fine versus retinendum videtur, cur *ut* vexemus, si *quin* ferri

potest, quidni *et*, *ac*, *aut* toleremus? Fleckeisenus autem coniunctionibus *et* et *ac* ubique omissis dissolute enunciata continuavit: quae dissolutio etsi paucis locis apte statuitur (Phorm. I. 2. 7, Eun. II. 3. 71), tamen multis locis valde displicet: Andr. III. 3. 28, Eun. II. 1. 11, Eun. II. 2. 29, Eun. V. 2. 34, Eun. V. 4. 4, Haut. III. 2. 10, Ad. III. 3, 21, Ad. III. 4. 19, nec ferri potest: Andr. I. 1. 24, Ad. II. 2. 9, qui versus a Fleckeiseno mutantur. Deinde *aut* coniunctio cum omitti nequeat, causa versus mutandi fit Haut. III. 3. 34, Ad. I. 1. 13, 30. Contra nihil in tot versibus omittendum, nihil mutandum est, si coniunctionibus in fine versuum locum esse concedemus. Praeterea his circiter viginti versibus, ubi coniunctiones librorum auctoritate in finibus versuum traduntur, quattuor addendi sunt, quorum numeri coniunctione adversus libros in exitu antecedentis versus restituta lenissime emendantur: Andr. I. 5. 21, Eun. II. 3. 58, Haut. III. 3. 20, Ad. I. 1. 10. Quamobrem quoniam permulti versus traduntur, quorum numeri coniunctione in exitu versus servata rectissime constant, atque pauci accedunt, quorum numeri coniunctione in exitu versus restituta facillime emendantur, Umpfenbachio assentior, qui libros secutus coniunctiones et in fine versus retinuit, et paucos versus coniunctionis loco mutato probabiliter e mendis expedivit. Sed iam ad institutum revertar meum.

Satis diligenter Bemb. etiam in variatis versibus distinctionem metricam servavit. Bis verbum ex fine in initium sequentis versus, bis ex initio in finem antecedentis versus removit: Eun. IV. 6. 1, Haut. III. 3. 20; Hec. II. 1. 16, Hec. V. 4. 8. Ubi autem versibus longis breves immiscentur, numquam versui longiori breviorem adiunxit, id quod et Parisinus et Ambrosianus, ut chartis parcerent, saepissime fecerunt. Ter tantum initium dimetri ad finem praeeuntis longioris versus adicitur, cum reliqua versus verba sola locum versus tueantur: Eun. IV. 6. 8, Phorm. I. 4. 4, Hec. IV. 3. 14. Contra finis longioris versus sequenti versiculo praeponitur: Eun. II. 1. 7, 9, Eun. II. 3. 15, Phorm. V. 1. 2. Bis denique epiphonema cum sequenti versu coaluit: Eun. II. 3. 1, Phorm. III. 2. 1.

His exemplis apparet in Bembino, qui vel quarto vel quinto saeculo exaratus est, etiam atque etiam versuum formas verbis aut additis aut demptis vitiatas esse: neque tamen usquam plus duo versus deformati sunt, nisi semel eodem mendo repetito tres deinceps versus turbati videntur esse: Ad. II. 4. 17—19. Quare rationem probare non possum, quam editores in versibus Adelphorum IV. 4. 1—9 scribendis secuti sunt, quorum versuum ne unum quidem ex auctoritate librorum dederunt (cf. cap. V.).

Praeter Bembinum librum versus distinxerunt Parisinus et Ambrosianus, qui libri etsi quingentis annis post Bembinum scripti sunt, tamen non multo graviore versuum corruptela infecti sunt quam Bembinus ipse. Quod ut cognosci possit, hoc loco cum Bembino Parisini codicis metricam distinctionem, quacum plerumque Ambrosianus consentit, comparemus: ex qua comparatione id quoque apparebit, quanti fides Parisini nobis habenda sit, ubi Bembini ope destituti sumus.

Atque ut ab eis mendis ordiamur, quae iam in Bembino deprehendimus, Parisinus quoque caput versus hic illic antecedenti versui adiecit, praesertim si primum verbum in sequenti versu interpunctione a ceteris segregatum est, in senariis: Andr. II. 5. 1, Haut. I. 1. 71, 121, Haut. II. 4. 25, Haut. III. 1. 35, 95, Haut. IV. 5. 46, Phorm. II. 1. 81, Phorm. II. 4. 8, Hec. I. 2. 37, 114, Ad. I. 1. 12, 55, Ad. III. 3. 57, Ad. III. 4. 14, 39, Ad. V. 3. 25, in septenariis: Eun. II. 2. 46 et 47[1]), Eun. IV. 4. 47, Phorm. V. 6. 30, Ad. V. 9. 12, in octonariis: Andr. III. 3. 2, Ad. V. 8. 21. Neque minus sequenti versui verba praefixit, quae ad exitum antecedentis annectenda erant, praesertim si alia persona in exitu versus loqui coeperat, in senariis: Andr. IV. 4. 51, Haut. perioch. 9, Phorm. I. 2. 23, Phorm. IV. 3. 29, in septenariis: Eun. II. 2. 45, Eun. V. 6. 21, Haut. II. 3. 73, Haut. V. 4. 19, in octonariis: Andr. V. 4. 50. Nec non coniunctiones et interiectiones ab exitu versus exterminatas in initio proximi

---

1) Primum ex versu 48 *ecquid beo te* in vers. 47 irrepserant, ut cum novo versu nova persona loqui inciperet, deinde versus 46 et 47 inter se exaequati sunt.

versus posuit: Hec. I. 2. 4, Phorm. II. 1. 57, Eun. II. 2. 7, Haut. II. 4. 18.

In variatis vero versibus Par. saepius ab accurata Bembini distinctione recedit: neque enim solum verba ex antecedenti versu in sequentem ascivit: Andr. I. 5. 22, Haut. III. 3. 6, 20, Andr. II. 1. 7, sed etiam versus breviores et longiores ubi inter se commiscentur, persaepe confudit: aut longiorem versum cum sequenti versiculo exaequavit: Andr. I. 5. 11, Eun. II. 1. 7, 9, aut versiculum cum sequenti longo versu in unum contraxit: Ad. III. 2. 19, aut longiori versui sequentem versiculum adiunxit: Andr. I. 5. 8, Andr. III. 2. 4, Eun. II. 1. 2, Haut. I. 2. 3, Haut. III. 3. 4, Phorm. I. 3. 10, Phorm. I. 4. 13, Phorm. V. 1. 1, Hec. IV. 1. 4, Hec. IV. 3. 5, 14, Hec. V. 1, 4, Hec. V. 4. 9, Ad. II. 1. 3, Ad. III. 2. 4, Ad. IV. 1. 7.

Apparet librarium in scribendo libro id egisse, ut membranarum spatio quam maxime parceret: unde factum est, ut etiam in continuatis versibus versus breviores longioribus adderet: Andr. III. 2. 36, Eun. V. 8. 18, Haut. V. 1. 80, Hec. V. 1. 40. Quin etiam eos versus, qui etsi numeris pares tamen longitudine verborum impares sunt, in unum contraxit: Haut. II. 3. 100 et 101, Phorm. I. 4. 51 et 52, Phorm. II. 3. 45 et 46, Phorm. IV. 3. 40 et 41, 66 et 67, Phorm. V. 8. 59 et 60, Hec. I. 1. 1 et 2, Hec. V. 4. 14 et 15, 17 et 18, Ad. III. 3. 5 et 6, Haut. II. 3. 81 et 82, Phorm. III. 2. 44 et 45. Interdum etiam tres versus in duos confudit: Andr. IV. 4. 13—15, Haut. II. 3. 53—55, Ad. I. 2. 40—42. Sed quamvis saepe versibus longis et brevibus contractis numeros conturbaret, tamen nusquam per totas scaenas sua libidine versus permiscuit et confudit. Quare editoribus assentiri non possum, qui in versibus Andr. III. 5. 1—12 constituendis ne unum quidem ex libro Parisino dederunt, qui horum versuum unus auctor est. In Parisino enim hi versus leguntur:

1 Ubi illic est scelus, qui me perdidit?
2 || Perii. || atque hoc confiteor iure mihi optigisse, quandoquidem
3 Tam iners, tam nullius consili sum. servon fortunas meas
4 Me commisisse futtili! ergo praetium ob stultitiam fero:

5 Sed inultum id numquam auferet: || posthac incolumem sat scio fore me, nunc si devito hoc malum.
6 || Nam quid ego nunc dicam patri? negabon velle me, modo qui sum
7 Pollicitus ducere? qua facere id audeam? nec quid me nunc faciam scio. || nec quid |||| me, adque id ago sedulo.
8 Dicam aliquid me inventurum, ut huic malo aliquam producam moram. || Ohe.
9 || Visus sum. || heodum bone vir, quid ais? viden me tuis consiliis miserum
10 Impeditum esse? || at iam expediam. || expedies? || certe, Pamphile.
11 Nempe ut modo. || immo melius spero. || oh tibi ego ut credam, furcifer?

Quorum versuum sextum et septimum apparet ex coalitione trium versuum in tantam longitudinem crevisse, qui quomodo seiungendi essent, olim Faernus recte vidit:

Nam quíd ego nunc dicám patri? negábon velle mé, modo
Qui súm pollicitus dúcere? qua [audácia[1])] id facere audeam?
Nec quíd me nunc faciám scio. || Nec quíd me, atque id ago sédulo.

Quintus versus iambico octonario et dimetro contractis in tantam longitudinem dilatatus est (cf. pg. 10):

Sed inúltum id numquam auféret: posthac incólumem sat sció fore
Me, núnc si devito hóc malum.

Tertius autem et quartus versus in Parisino libro recti octonarii iambici sunt, item octavus, si pro *ohe*, quod libris traditur, *oh* cum editoribus scribimus. Nonus versus est octonarius trochaicus, decimus septenarius trochaicus, undecimus octonarius iambicus. Restant primus et secundus versus, ubi Bentleius verbo *perdidit* exterminato *hodie* ex codicibus addit, quorum nomina non affert. Sed sedes corruptelae alia videtur esse atque doctissimus vir statuit: nam in fine antecedentis scaenae hi versus in libro Parisino traduntur:

---

1) Ita Fleck. emendavit. cf. Eun. V. 4. 36.

Em astutias: quod si quiessem, nihil evenisset mali. sed eccum ipsum video. occidi.
Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me praecipitem darem.

Quae verba ab editoribus in iambicum octonarium et iambicum dimetrum et iambicum octonarium ita distributa sunt, ut iambico dimetro ea verba assignentur, quibus ad alteram partem actionis transitur. Nunquam vero poeta inter eosdem versus transitum propriis numeris inclusit cf. cap. VI. I. 1. Quare verba sic dispertienda in versus esse suspicatus sum:

Em astútias: quod sí quiessem, níhil evenissét mali.
Sed éccum ipsum video. óccidí. Utinám mihi aliquid ésset hic,
Quo núnc me praecipitém darem.

Quod si fecerimus, recte numeri huius ultimi versus in sequenti scaena sic continuantur:

Ubi illic ést scelus, qui me pérdidit?

Secundus denique versus, uti in Parisino traditur, explicari non potest: transpositis autem vocibus *optigisse* et *mihi* iambicus octonarius evadit, qui hoc loco paene efflagitatur.

|| Perii. || 'Atque hoc confiteór iure optigísse mihi, quandóquidem

Quare ex Parisino libro, cui non est, quod diffidamus, hos versus fortasse rectius restituerimus[1]):

Ubi illic ést scelus, qui me pérdidit?
|| Perii. || 'Atque hoc confiteór iure optigísse mihi, quandóquidem
Tam inérs, tam nulli cónsili sum: sérvon fortunás meas
Me cómmisisse fúttili! ergo prétium ob stultitiám fero.
Sed inúltum id numquam auféret. || Posthac incólumem sat sció fore
Me, núnc si devito hóc malum.
|| Nam quíd ego nunc dicám patri? negábon velle mé, modo
Qui súm pollicitus dúcere? qua audácia id facere aúdeam?
Nec quíd me nunc faciám scio. || Nec quíd me, atque id ago sédulo.
Dicam áliquid me inventúrum, ut huic malo áliquam producám moram. || Oh.

---

1) Mira quadam sagacitate Conradtius pg. 79 hos versus iambicos octonarios esse praesagivit, quamquam ne unum quidem versum ex libri Par. auctoritate restituere conatus est.

|| Vísus sum. || Ehodum, bóne vir, quid ais? víden me tuis consíliis miserum
'Impeditum esse? || 'At iam expediam. || Expédies? || Certe, Pámphile.
|| Nempe út modo. || Immo mélius spero. || Oh tíbi ego ut credam, fúrcifer?

Cap. III.

§ 1.

Postquam probi iudicis instar librorum tamquam testium fidem antea exploravimus, nunc ad rem ipsam diiudicandam paullo confidentius aggredi possumus: quam ita tractabimus, ut quae cantica versuum cognatione aliqua inter se coniuncta sunt, eadem quaestione complectamur. Duo autem inter variatos versus canticorum genera discernenda sunt, alterum quod trochaicis et iambicis versibus constat, alterum quod ex baccheis et creticis versibus compositum est. Atque inter prioris generis cantica longe plurima ea sunt, quibus trochaici octonarii immiscentur. Quamobrem totam hanc quaestionem apte ita instituemus, ut primum qua ratione trochaici et iambici versus octonariis trochaicis admixtis, deinde qua ratione trochaici et iambici versus octonariis trochaicis non admixtis inter se succedant, tum qua ratione bacchiaci et cretici versus inter se sequantur, doceamus.

Atque in canticis, quibus octonarii trochaici admiscentur, primus Bentleius legem illam, qua octonarii trochaici semper trochaicis versibus exciperentur, perspexit et ad Andriae versum II. 1. 7 protulit. G. Hermannus autem hanc trochaicorum versuum consecutionem ex continuatione numeri trochaici explicari posse ratus adhibitis octonariis iambicis hypermetris Bentleianum versuum ordinem saepius mutavit. Qui post Hermanni aetatem fabulas Terentianas ediderunt, Bentleii legem tam constanter secuti sunt, ut eam, ubi doctissimus vir tenuerat, et ipsi tenerent, ubi autem violaverat, et ipsi violarent.

Proficiscamur in explicandis huius generis canticis a Phormionis scaena III. 1. Antipho adulescens, postquam turpissimae

fugae pudore excruciatus in scaenam rediit, ex Geta servo, quo loco res sit sua, audit:

'Enimvero, Antiphó, multimodis cum ístoc animo es vítuperandus:
'Itane te hinc abísse et vitam túam tutandam aliís dedisse!
'Alios tuam rem crédidisti mágis quam tete animádversuros?
Nam út ut erant alia, ílli certe quaé nunc tibi domíst consuleres,
Né quid propter túam fidem decépta poteretúr mali:
Cuí nunc miserae spés opesque súnt in te uno omnés sitae.
|| Et quídem, ere, nos iamdúdum hic te absentem íncusamus, qui ábieris.
|| Te ipsúm quaerebam. || Séd ea causa níhilo magis defécimus.
|| Loquere óbsecro, quo nam ín loco sunt rés et fortunaé meae:
Numquíd patri subolét? || Nihil etiam. || Ecquíd spei porrost? || Néscio. || Ah.
|| Nisi Phaédria haud cessávit pro te eníti. || Nihil fecít novi.
|| Tum Phórmio itidem in hác re ut aliis strénuom hominem praébuit.
|| Quid is fécit? || Confutávit verbis ádmodum iratúm senem.
|| Eu, Phórmio. || Ego quod pótui porro. || Mí Geta, omnis vós amo.
Síc habent princípia sese ut díco: adhuc tranquílla res est,
Mánsurusque pátruom pater est, dum húc adveniat. || Quíd eum? || Ut aibat
De éius consilio sése velle fácere quod ad hanc rem áttinet.
|| Quántum metuist míhi videre huc sálvom nunc patruóm, Geta!
Nam pér eius unam, ut aúdio, aut vivam aút moriar senténtiam.

Versu 20 poeta ad sequentem scaenam transit, de quo transitu postea, si placet, fusius disputemus.

In versus 18 initio liber Bembinus tradit: *quantum metus est*, ut versus sit iambicus octonarius, libri Calliopiani: *quantus metus est*, ut versus sit trochaicus septenarius. Bembini scriptura ut elegantior, ita probabilior videtur esse. Neque tamen Bentleius eam in textum recepit, sed ne medii inter trochaicos iambici versus occurrerent, Calliopianorum versum praetulit. Fleckeisenus autem Bembini scripturam retinuit,

nisi quod pro *metus metuis* genetivi formam non contractam restituit, quae cum Terentii aetate pro contracta obtinuisse videatur (cf. Bücheler lat. decl. pg. 31 sq.), sine dubio recipienda est. Qua Fleckeiseni emendatione trochaicus septenarius, quem Bentleius desideraverat, necopinato etiam Bembini auctoritate comprobatus est. Itaque plerique editores etiam versum sequentem, cui Bentleius *per* praepositione in *de* mutata trochaicos numeros adaptaverat, in trochaicum septenarium immutandum esse censuerunt, Bentleii illa lege ducti, ne paribus versibus impar immisceretur. Sed nobis leges, quibus versuum consecutio regatur, indagantibus omnes coniecturae improbandae erunt, quae ex compositionis legibus dubiis et incertis profectae sunt. Quare neque cum Bentleio *nam de eius una* neque cum Fleckeiseno *nam eius per unam* scribemus, sed cum Umpfenbachio tradita verba *nam per eius unam* retinebimus.

Quodsi versus ex librorum auctoritate recte scripti sunt, apparet duos in hac scaena versuum ordines statuendos esse, quorum prior a quattuor trochaicis octonariis orsus ad duos trochaicos septenarios transit, quos octo iambici octonarii sequuntur. Alter ordo a duobus trochaicis octonariis incipit, quos duo trochaici septenarii et unus iambicus octonarius excipiunt. Habemus igitur hunc versuum ordinem:

Troch. octon.
Troch. septen.
Iamb. octon.

quem bis deinceps non casu, sed consilio a poeta institutum esse credemus.

Quem versuum ordinem in nonnullis scaenis iam Bornius recte perspexit (progr. Magd. pg. 15): sed cum doctissimo viro librorum scripturae inspiciendae facultas data non esset, tot tamque varios horum versuum ordines e doctorum hominum mutationibus profectos coacervavit, ut nullam in iis legem, sed meram licentiam deprehendamus. Nos librorum auctoritatem semper sequentes ceteras huius generis scaenas perlustremus, ut ubi libri eundem, ubi alium horum versuum ordinem tradiderint, cognoscamus. Nam si semper aliae in

aliis canticis componendi rationes traduntur, omnes singillatim explicare, cum leges compositionis nullae efficiantur, supervacaneum videatur: sin eaedem rationes iisdem legibus astrictae redibunt, rationes ipsae leges habendae erunt.

In Phormionis I. 3 scaena hi versus libris traduntur:

'Adeon rem redísse, ut qui mihi cónsultum optimé velit esse,
Phaédria, patrem ut éxtimescam, ubi ín mentem eius advénti veniat.
Quód ni fuissem incógitans, ita éxpectarem, ut pár fuit.
|| Quid istuc est? || Rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?
Quód utinam ne Phórmioni id suádere in mentem íncidisset
Neú me cupidum eo ímpulisset, quód mihi principiúmst mali.
Nón potitus éssem: fuisset tum íllos mi aegre aliquót dies:
At nón cotidiána cura haec ángeret animum, || Aúdio.
|| Dum expécto quam mox véniat qui adimat hánc mihi consuetúdinem.
|| Aliís, quia defit quód amant, aegrest: tíbi, quia super ést, dolet.
Amóre abundas, 'Antipho.

Versus 2 in Bembino trochaicus octonarius est:

. . . . . ubi in mentem eius adventi veniat.

in libris Calliopianis trochaicus septenarius:

. . . . . ubi in mentem eius adventi (us) venit.

in Prisciani inst. l. VI. pg. 258 K atque l. XVII. pg. 188 K trochaicus octonarius:

. . . . . ubi eius adventi venit in mentem.
al.: cum eius adventi mihi venit in mentem.

Cum Bembinus et Calliopiani de verborum collocatione congruant, sequitur, ut Priscianus hunc versum e memoria potius quam e libro aliquo Terentiano deprompserit. Sed recte Priscianus octonarii trochaici numeros in memoriam redegit, quos Calliopius, ut *veniat* coniunctivum parum intellectum extingueret, mutavit atque depravavit. In versu 4 libri omnes scribunt: *Quid istuc est? Rogitas? qui* etc. Bentleius copula *est* deleta trochaicum octonarium edidit, quem posteri editores iniuria receperunt. Nam *quid istuc* verba sunt mirantis

(cf. e. g. Eun. IV. 3. 8), verba autem *quid istuc est* sunt rogitantis, velut in Phorm. versu II. 1. 27:

|| Vellém quidem. || Quid istúc est? || Rogitas, Phaédria?

quo comparato nemo dubitare potest, quin Bentleii emendatio improbanda sit. At alicubi in hoc versu a librariis erratum videtur esse, cum trádita verba nullius versus numeris includi possint. Erratum est: sed non tam *est* cum Bentleio omittendum, quam *conscius es* vel *conscius's* scribendum est collato Eunuchi versu IV. 7. 24:

Rógitas? quae mi ante óculos coram amátorem adduxtí tuom.

Itaque in hac quoque scaena Terentius versus bis deinceps ita disposuit, ut octonarius trochaicus ordinem inchoet, septenarius continuet, octonarius iambicus finiat:

Troch. octon.
Troch. septen.
Iamb. octon.

Terminantur autem variati huius scaenae numeri iambico dimetro acatalecto sive iambico quaternario. Ut omnium versuum minuscula cola, ita etiam iambici quaternarii a veteribus grammaticis clausulae vocatae sunt: quod nomen Varro apud Rufinum pg. 556 K minusculis colis ob eam causam inditum esse explicat, *quod clauderent sententiam.* Neque tamen haec Varronis explicatio exemplis Terentianis comprobatur (cf. e. g. Eun. IV. 3. 5, Haut. III. 3. 5, Ad. IV. 1. 8), neque a Varrone ipso vera esse habita videtur: nam l. l. pergit: »*nonnumquam ab his* (i. e. clausulis) *initium fit ut apud Caecilium*:

Di boni quid hoc

apud Terentium:

Discrucior animi.«

Probabilius vero diceres clausularum nomen inde profectum esse, quod membra quaedam certis numeris ac modis distincta clauderent. Ac profecto hanc in minusculis colis vim inesse multis locis summa cum probabilitate statui licet, praesertim cum pleraque perpetuo numero cum antecedentibus versibus cohaereant. Neque tamen minuscula cola ubicumque occurrunt, semper partes versuum inter se coniunctorum finiunt: nam quam versuum partem ab eis claudi in continuatis ver-

sibus (cf. Andr. III. 2. 37) putabimus? Itaque cum Hermanno in el. doctr. metr. pg. 184 minuscula cola non semper cum praecedentibus versibus coniuncta suum sibi proprium numerum habere posse putabimus, ita ut semiseptenarius trochaicus eiusdem iuris esse atque septenarius trochaicus, et quaternarius iambicus eiusdem iuris atque octonarius iambicus esse possit.

§ 2.

Atque in his quidem scaenis trochaicus ordo, ut hoc nomine utar, simplicissimus: in aliis autem maiore arte perpolitus est, velut in Hecyrae III. 1 scaena:

Némini plura acérba credo esse éx amore homini úmquam oblata
Quám mi. heu me infelícem, hancine ego vítam parsi pérdere!
Hacine causa ego eram tantopere cupidus redeundi domum!
Cui quanto fuerat praestabilius ubivis gentium agere aetatem
Quam húc redire atque haéc ita esse míserum me rescíscere!
Nám nos omnes quíbus est alicunde áliquis obiectús labos,
'Omne quod est intérea tempus príus quam id rescitúmst lucrost.
|| 'At sic citius quí te expedias hís aerumnis réperias.
Sí non rediissés, haec irae fáctae essent multo ámpliores:
Séd nunc adventúm tuom ambas, Pámphile, scio réverituras.
Rém cognosces: íram expedies: rúrsum in gratiám restitues.
Lévia sunt, quae tú pergravia esse ín animum induxtí tuom.
|| Quid cónsolare me? án quisquam usquam géntiumst aequé miser?

Deinde iambici octonarii usque ad versum 34 producuntur (cf. I. pg. 4). Tertius et quartus versus libris A. F. P. sic uti supra scripsi distinguuntur. Bentleius dativum *cui* ab initio quarti versus remotum et in interiectionem *ah* mutatum ad exitum versus tertii agglutinavit. Fleckeisenus et Umpfenbachius eum secuti sunt, nisi quod pro *ah hui* scribere maluerunt, quod a traditis litteris *cui* propius abesset. Sed quamquam maxime mihi probata est ratio, qua verba ex initio versus corrupti in exitum antecedentis versus rediguntur, praesertim si arto sententiae vinculo cum sequenti versu coniuncta

sunt (cf. Il. pg. 7), tamen dubitandum videtur esse, num recte Fleckeisenus *cui* in *hui* mutaverit: aptissime illae duae sententiae pronomine relativo coniunguntur. Quare pronomen *cui* intactum in exitu tertii versus reponendum atque hos duos octonarios trochaicos scribendos esse censeo:

Hácine causa ego erám tantopere cúpidus redeundí domum, cui
Quánto fuerat praéstabilius úbivis gentium ágere aetatem.

De ceteris autem versibus quoniam nulla restare dubitatio videtur, iam ad constituendum horum versuum ordinem accedamus. Ut supra primum locum poeta trochaico octonario assignavit, quem trochaicus septenarius excipit: ab hoc autem septenario trochaico poeta ad duos octonarios trochaicos rediit, quos quattuor trochaici septenarii sequuntur: deinde iterum repetivit trochaicos octonarios, numero tres, quibus unus trochaicus septenarius succedit: tum denique iambicis octonariis viginti uno ordinem finivit. Habemus igitur hunc novum versuum ordinem:

Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

quem ex priore ordine simplici:

Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

trochaica parte identidem repetita amplificatum esse nemo negabit.

Liceat mihi, quamvis versibus afferendis eos qui legent morer, unius etiam cantici versus omnes ascribere, non quo quam librorum scripturam a doctis viris mutatam restituendam esse iudicem, sed ut novam variationem, quae horum ordinum propria est, proferam. In Eunuchi enim scaena IV. 6 hi versus leguntur:

Crédo equidem illum iam ádfuturum esse, út illam a me eripiát; sine veniat:
'Atqui si illam dígito attigerit úno, oculi ilico éffodientur.
'Usque adeo illius férre possum inéptiam et magnífica verba,
Vérba dum sint: vérum enim si ad rem cónferentur, vápulabit.
|| Tháis ego iamdúdum hic adsum. || O mí Chremes, te ipsum éxpectabam.
Scín' tu turbam hanc própter te esse fáctam? et adeo ad te áttinere hanc
'Omnem rem? || Ad me? quí? quasi istuc... || Quía dum tibi sorórem studeo
Réddere ac restítuere, haec atque húius modi sum múlta passa.
|| 'Ubi east? || Domi apud me. || Hém. || Quid est?
'Educta ita uti téque illaque dígnumst. || Quid ais? || 'Id quod res est.
Hánc tibi do donó neque repeto pro ílla quicquam aps té preti.
|| Et habétur et referétur, Thais, tíbi ita ut merita es grátia.

In nono versu trochaicus octonarius non trochaico septenario, ut assolet, sed trochaico semiseptenario excipitur. Et paucis iam in pag. 17, cum de clausulis dissereremus, probare studuimus minuscula cola, quae apud veteres ex fortuita brevitatis similitudine omnia commune clausularum nomen duxerunt, non semper versuum ordines claudere, sed suum quodque sibi proprium numerum habere posse. Nunc haec de minusculis colis sententia eo vel maxime confirmatur, quod semiseptenarium trochaicum in medio ordine positum septenarii trochaici vice fungi videmus.

Troch. oct.
Troch. semisept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Denique animadvertendum est trochaicum semiseptenarium non solum in amplificato, sed etiam in simplici trochaico ordine locum septenarii trochaici occupasse. cf. Ad. II. 1. 4, Phorm. I. 4. 14.

§ 3.

Perlustremus nunc eas scaenas, ubi editores ordine horum versuum aut parum intellecto aut de industria neglecto verborum et versuum mutationes moliti sunt, quas e fabulis poetae tollendas esse puto: velut in Adelph. IV. 1 scaena, in qua poeta utrumque ordinem, et simplicem et amplificatum, instituit. Atque sex priores versus ita inter se sequuntur, ut unum octonarium trochaicum unus septenarius trochaicus, hunc autem quattuor iambici octonarii excipiant:

Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Deinde Bembinus hos versus tradidit:

'Et illud rus nulla ália causa tám male odi, nísi quia propest,
Quód si abesset lóngius.

Parisinus et Ambrosianus, ut solent, versiculum longiori antecedenti versui addiderunt. Fleckeisenus autem et Umpfenbachius, quorum aures offendisse ictus videtur, quo verba *quiá propest* feriuntur, hos versus Guyetum secuti ita mutarunt:

Et íllud rus nulla ália causa tám male odi, nísi quia
Propést quod si esset lóngius.

Sed iniuria Fleckeisenus et Umpfenbachius ictum, qui est in verbis *quiá propest*, mutarunt, qui non fugerint ictus, quales sunt *illé quidem* Phorm. V. 1. 27 (Fleck. et Umpf.), *quoqué voluntate* Phorm. IV. 5. 13 (Umpf.), *quiá super est* Phorm. I. 3. 10 (Fleck. et Umpf.). Quare si non est, cur tales ictus declinentur, Bembini versus et verba retineo atque amplificatum trochaicorum versuum ordinem restituo, ut inde a versu 7 inter se sequantur:

Troch. oct.
Troch. semisept.

Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.,

qui postremus versus ad exitum scaenae repetitur.

Cum hac scaena Phorm. V. 1 conferri potest, in qua simili ratione poeta et amplificatum et simplicem trochaicum ordinem inter se coniunxit, ut inter se sequantur:

I. Troch. oct.
Troch. semisept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

II. Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Alias gravioresque turbas editores in Hecyrae IV. 1 scaena effecerunt. Incipiunt octonarii trochaici duo, quos septenarius excipit, tum octonarius trochaicus iteratur, quem subsequitur semiseptenarius trochaicus. Sexto autem versu, quem iambicum octonarium non pro trochaico septenario cum Bentleio habebimus, ordo horum versuum finitur et simul cum ordinis fine Myrrhinae monodia desinit:

Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. semisept.
Iamb. oct.

Tum Phidippus ira incensus domo sua se proruit. Expectamus igitur eum ipsum quoque simulatque in scaenam prodiit, excitatissimo versuum genere, trochaico octonario, uti. Sed versus, quem primum dicit, in omnibus editionibus septenarius trochaicus est, secundus aut octonarius trochaicus, ut apud Bentleium et Umpfenbachium, aut septenarius iambicus, ut apud Fleckeisenum, tertius denique omnium consensu trochaicus octonarius. Conemur ex librorum scriptura hanc dubitationem editorum, si fieri potest, tollere. Legimus in Bembino:

Uxorem ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras. atque eccam
Video. quid ais, Myrrhina? heus tibi dico. || Mihine, (mi) vir?

in Parisino et Ambrosiano:

Uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras.
Atque eccam video. quid ais, Myrrhina? heus tibi dico. || Mihine, vir.

Accusativus *uxorem*, qui in Bembino libro errore scriptus videtur esse, a correctore recenti litteris *em* inductis recte in nominativum mutatus est, quem Donatus ceterique libri omnes exhibent. Pronomen autem *mi* unus Donatus in lemmate servavit, quod et Bembinus et Calliopiani omiserunt, nisi quod in Bembino et in Riccardiano a correctoribus, sive e coniectura sive e Donati commentario, inter versus additum est. Neque tamen dubitari licet, quin pronomen *mi* recte a Donato traditum sit. Uxor enim timore capta blande iratum maritum alloquitur, id quod ex mariti respondentis verbis ipsis elucet: *Vir ego tuos sim.* Cetera autem verba logicis et grammaticis legibus bene accommodantur et librorum omnium consensu traduntur: quare nisi metricis legibus obstrepunt, sine ulla dubitatione videntur retinenda esse.

Atque versus quos Bembinus tradidit numeris astricti sunt nullis, malis quos Parisinus et Ambrosianus distinxerunt: nam verba *atque eccam v—* neque in dactyli neque in anapaesti mensuram bene coartantur. Editores aut malos Parisini versus retinuerunt, ut Bentleius et Umpfenbachius, aut gravioribus molimentis mutarunt. Fleckeisenus verbo *video* eiecto iambicum septenarium, Conradtius voce *atque* exterminata trochaicum octonarium effecit. Sed facilius et rectius hos versus emendare mihi videor sic distinguens:

'Uxor ubi me ad fíliam ire sénsit, se duxít foras. atque
'Eccam video. quíd ais, Myrrhina? heús tibi dico. || Míhine, mi vir?

Prioris versus syllabae qua ratione enarrandae sint, in dubio relinquitur: aut *foras* vocis ultima syllaba corripienda est ut passim apud Plautum et Terentium (cf. Eun. II. 2. 51, Ad. II. 1. 13), aut *atque* synapheia cum sequentis versus initio coniungendum est (cf. Ad. II. 2. 9, Ad. III. 3. 21, Ad. III. 4. 19, Andr. IV. 1. 9). Hoc equidem praefero: nimis enim subtiliter

sentiunt, qui synapheian omnibus his locis extinguunt Terentioque abiudicant, quam ne posteri quidem Romanorum poetae evitaverint (cf. exempla quae Lachmannus in subtilissima de synapheia disputatione Lucr. II. 118 congessit).

Falsae autem in libris distinctionis causa in promptu est: verba enim, quae sententiae compage artissime coniuncta sunt, ab alio librario in exitum prioris, ab aliis in initium sequentis versus coacta sunt.

Paucis versibus post libri iterum de versibus distinguendis inter se discrepant: Parisinus et Ambrosianus hos versus offerunt (12 et 13):

Péperit filia. hém, taces? ex quo? || Istúc patrem rogáre est aequom?
Périi: ex quo censés nisi ex illo cuí datast nuptum óbsecro?

quos versus editores receperunt. Bembinus autem hos versus turbatos tradit:

Peperit filia. hem, taces?
Ex quo? || Istuc patrem rogare est aequom? perii: ex quo censes
Nisi ex illo cui data est nuptum obsecro?

qui versus verbis *nisi ex* in antecedentis versus fine repositis nescio an apte ex turba expediantur (cf. Andr. IV. 1. 5, Eun. IV. 2. 3, Eun. V. 2. 20, Eun. V. 8. 46):

Péperit filia. hém, taces?
Ex quo? || 'Istuc patrem rogáre est aequom? périi: ex quo censés nisi ex
Illó cui datast nuptum óbsecro?

Parisini distinctio si vera est, difficile est explicatu, quo ex consilio quove ex errore versus libri Bembini profecti sint. Sin autem Bembini distinctio vera est, apparet in Parisino libro, ut chartarum spatio parceretur, tres Bembini versus in duos coartatos esse, id quod librarium Parisini in versiculis scribendis semper fere fecisse observavimus. Quibus causis commotus Bembini distinctionem sequendam atque hos versus inde a vers. 7 scribendos esse censeo:

|| 'Uxor ubi me ad filiam ire sénsit, se duxít foras. atque
'Eccam video. quíd ais, Myrrhina? heús tibi dico. || Míhine, mi vir?
|| Vír ego tuos sim? tú virum me aut hóminem deputás adeo esse?
Nám si utrumvis hórum, mulier, úmquam tibi visús forem,

Nón sic ludibrió tuis factis hábitus essem. || Quíbus? || At rogitas?
Péperit filia. hém, taces?
Ex quo? || ’Istuc patrem rogáre est aequom? périi: ex quo censés nisi ex
Illó cui datast nuptum óbsecro?

Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. semisept.
Iamb. oct. c. iamb. quat.

Post hos denique duos ampl. ordines poeta tertium posuit, in quo unus troch. oct., duo troch. sept., deinde tres troch. oct., novem troch. sept., tres iamb. oct. insunt:

Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Medius autem inter trochaicos septenarios versus 22 iambicus octonarius libris declarari videtur:

Ex hác re quod locúta es olim, cum íllum generum cépimus.

Sed Donatus, qui hunc versum ad Hecyrae vers. IV. 4. 89 attulit, pro verbis *ex hac re de hac re* tradidit, quam scripturam sententiae magis convenientem cum editoribus recipiendam esse duco, quamquam unde librorum scriptura orta sit, me nescire confiteor.

Neque aliter versus in Haut. III. 3 scaena dispositi videntur esse, quamvis omnes editiones refragentur. Metrum saepius variatur usque ad versum 30, ubi Clitiphone e scaena digresso simul cum colore sermonis etiam metrum immutatur et pro versibus variatis trochaici septenarii continuantur. Atque in decem prioribus versibus scribendis simplicem ordinem, in quo

Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

ponuntur, bis deinceps a poeta videmus servatum esse. At

versum decimum Bentleius, quem Fleckeisenus secutus est, trochaicum esse voluit et ex uno Regio scribendum esse censuit:

'At fides mi apud húnc est nil me istíus facturúm pater.

ut versus aeque ac ceteri trochaicus esset. Neque vero est, cur Regium codicem nostris praeferamus: itaque Umpfenbachium sequimur, qui iambico octonario ex libris nostris recepto trochaicum ordinem aptissime restituit.

Difficilius erit disquirere, qui versus abhinc scribendi sint. Editores quos novi prope uno consensu hos versus ediderunt:

'Esto: at certe [ut hínc] concedas [hinc] áliquo ab ore eorum áliquantisper.
Múlta fert libído: ea facere próhibet tua praeséntia.
Dé me facio cóniecturam: némost meorum amícorum hodie,
Apúd quem expromere ómnia mea occúlta, Clitipho, aúdeam.
Apud álium prohibet dígnitas, apud álium ipsius factí pudet,
Ne inéptus, ne protérvus videar. quód illum facere crédito.
Sed nóstrumst intellégere, ut cumque atque úbi cumque opus sit óbsequi.
Quíd iste narrat! || Périi. || Clitipho, haéc ego praecipió tibi?

In versu 11 a Bentleio verba *ut hinc* addita sunt, quae plerique libri omittunt; fortasse aptius cum Conradtio *istinc* in hoc defectu reponamus (cf. Conradt. l. l. pg. 103). Versui 13 omnes libri pronomen *ego* praeponunt, ut numeri in initio versus iambici esse videantur. Sed exitus versus trochaicos esse numeros dilucide et perspicue ostendit. Utrum autem *ego* cum Bentleio transponendum *(De me ego)*, an cum Fleckeiseno omittendum sit, diiudicare difficile est. Recentiores editores omnes Fleckeisenum secuti sunt, quorum sententiam non habeo quod repudiem. Versum 14 Bentleius iambici octonarii numeris inclusit, quamquam post trochaicum octonarium iambico versui locum esse in notis saepius negavit, atque editores hunc iambicum octonarium omnes tacite receperunt. Sed recte Conradtius iam attendit Terentio non minus *ápud quem*, quam *apúd quem* pronuntiare licuisse: nos quidem certe trochaicam pronuntiationem praeferemus. Eadem

pronuntiationis dubitatio de versu 18 occurrit, quem omnes post Bentleium editores trochaicum esse voluerunt. Nil autem obstat, ne pro *quíd iste quid íste* pronuntiantes versum iambicum octonarium accipiamus. Quod si licet, ne horum quidem versuum ordo disturbatur: nam inter se sequuntur:

Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Post hos versus poeta ad simplicem trochaicum ordinem rediit, in quo tres trochaici octonarii cum duobus septenariis trochaicis coniunguntur, quibus inde a versu 24 iambici octonarii succedunt:

Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Ultimos autem huius ordinis versus (28 et 29) alii editores aliter scripserunt atque omnes ordinem versuum, quem alibi cognovimus, turbaverunt. Fleckeisenus Bentleium secutus duos senarios effecit:

Di te éradicent, quí me hinc extrudís, Syre.
|| At tú pol tibi istas pósthac comprimitó manus.

Umpfenbachius autem trochaicum octonarium et semiseptenarium legi iubet:

Dí te eradicént, Syre, qui me hinc éxtrudis. || At tú tibi istas
Pósthac comprimitó manus.

qui versus nullo iambico octonario excipiuntur. Quare concedendum esset Terentium ab usitato trochaicorum versuum ordine recessisse, nisi liber Bembinus versus aliter scribi iuberet. Bembinus enim hos versus offert:

De te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis. || At tu pol tibi istas
Posthac comprimito manus,

qui numeri, si *istas* sequenti versiculo praefigitur, expediti sunt:

Di te éradicent, Sýre, qui me hinc extrúdis. || At tu pól tibi
Istas pósthac comprimitó manus.

Atque ita iam Conradtius rectissime hos versus distinxit, nisi quod improbabiliter *istas* in *tuas* mutavit. Immo retinendum esse puto *istas*, sive decurtatam huius pronominis formam *stas* huic versui attribuimus (cf. Lachm. Lucr. III. 954), sive utramque eius syllabam in primo pede iambici versus correptam esse putamus (cf. *immo* Phorm. V. 8. 43, Hec. III. 4. 23, Hec. IV. 4. 104).

Quod si fit, hoc canticum eodem iambico quaternario, quo Phorm. I. 3, claudi videmus (cf. pg. 16).

Phorm. I. 4 versus 1—18 imprimis digni videntur, de quibus paullo uberius verba faciamus. Orditur trochaicus octonarius:

Núllus es, Getá, nisi iam aliquod tíbi consilium célere reperis:

Priscianus hunc versum bis attulit, l. V. pg. 152 K, ubi *iam* et *tibi* omissa sunt, et l. VII. pg. 335 K, ubi *tibi* tantum deest. Apparet Priscianum etiam hunc versum e memoria scripsisse: tamen Bentleius eum secutus *tibi* pronomine eiecto et *repereris* forma ex libris deterioribus et ex Prisciano recepta trochaicum septenarium edidit. Lachmannus (Lucr. III. 1050) Bentleio accessit, nisi quod pro *repereris reperies* scribendum esse dicit. Fleckeisenus quamquam pronomen *tibi* Terentio reddidit, tamen, ut trochaicum septenarium efficeret, *reperies* a Lachmanno recepit et *nisi* in *ni* mutavit. Cur omnes illi doctissimi viri a Bembini scriptura discesserint, nullam aliam causam dispicio, quam quod unum trochaicum octonarium in huius cantici initio ferri non posse putaverint: nam *tibi* apte ad verba *nullus es* et *tanta te inpendent mala* accedit, et praesens tempus *reperis* in hac sententia condicionali non minus ferri aut explicari potest, quam futurum sive primum sive alterum. Quare cum Umpfenbachio et Dziatzkone Bembini scripturam retinuimus. Deinde sequitur septenarius trochaicus:

'Ita nunc imparátum subito tánta te inpendént mala.

Tertius autem et quartus et quintus versus ab omnibus editoribus iambici habentur: sed sine ulla difficultate iidem versus etiam trochaicis numeris includi possunt:

Quaé neque uti devítem scio neque quó modo me inde éx-
Nám non potest celári nostra díutius iam audácia. [traham:
|| Quíd illic commotús venit?

Itaque si in sequenti disputatione causam nanciscemur, cur trochaicos versus praeferamus, non dubitabimus versuum pedes sic uti supra scripsi enarrare.

Tum versum septimum Bentleius iambicum octonarium, octavum et nonum trochaicos septenarios esse voluit, quos omnes editores receperunt. Hermannus contra tres iambicos versus legi iubet in el. doctr. m. pg. 173, cui nos assentiri malumus, primum quia librorum scripturam quam nemo vexare debuit, intactam servavit, deinde quia trochaicos ordines semper iambicis numquam iambicis et trochaicis versibus claudi vidimus:

Tum témporis mihi púnctum ad hanc rem est: érus adest. || Quid illúc malist?
|| Quod, cum aúdierit, quod éius remedium ínveniam iracúndiae?
Loquárne? incendam. táceam? instigem. púrgem me? laterém lavem.

Post hos versus redit poeta ad octonarios trochaicos:

Heú me miserum! cúm mihi paveo, tum 'Antipho me excrúciat animi.
Eíus me miseret, eí nunc timeo, is núnc me retinet; nam ábsque eo esset.

Succedunt septenarii trochaici:

Récte ego mihi vidíssem et senis essem últus iracúndiam:
'Aliquid convasássem atque hinc me cónicerem protinam ín [pedes.
|| Quam híc fugam aut furtúm parat?

Hunc semiseptênarium qui libris traditur editores mutarunt Bentleium secuti, qui post catalecticum versum iambicam clausulam ponendam esse dixit. Nos cum iam saepius in trochaicis ordinibus trochaicum semiseptenarium vice septenarii fungi viderimus, non habemus, cur a traditis verbis recedamus.

Postremo ut ceteros ita hunc quoque ordinem trochaicum iambicis octonariis claudi expectamus. Sed versuum distinctio in libris turbata est. In Bembino versus 15 et 16 iambici octonarii sunt, versus 17 et 18 nullos numeros habent:

|| Sed ubi 'Antiphonem réperiam? aut qua quaérere insistám viam?
|| Te nóminat. || Nesció quod magnum hoc núntio expectó malum. || Ah
Sanusne es? || Domum ire pergam, ibi plurimum est. || Revocemus
Hominem. || Sta ilico. || Hem.

In Parisino et Ambrosiano primus et tertius versus iambici octonarii sunt, secundus pessumdatus est:

|| Sed ubi 'Antiphonem réperiam? aut qua quaérere insistám viam?
|| Te nominat. || Nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum. ||
Ah sanus es?
|| Domum íre pergam, ibi plúrimum est. || Revocémus hominem. ||
Sta ílico. || Hem.

Atque Bentleius tertium et quartum versum Bembini uno complexus pentametrum trochaicum legi voluit, cui Hermannus in el. doctr. m. p. 93 adversatus est. Bothius, quem Fleckeisenus secutus est, parum probabiliter omni librorum distinctione neglecta hos versus distinxit:

|| Sed ubi 'Antiphonem . . . . viam?
|| Te nóminat. || Nescío quod magnum hoc núntio expectó malum.
|| Ah sánun es? || Domum íre pergam, ibi plúrimumst.
|| Revocémus hominem: Sta ílico. || Hem, satís pro imperio, quís-
|| Geta. || 'Ipsest quem volui óbviam. [quis es?

Umpfenbachius denique Bembini scriptura quantum fieri potuit servata verba in hos versus dispertivit:

|| Sed ubi 'Antiphonem . . . . viam?
|| Te nóminat . . . . || Ah
Sánun es? || Domum íre pergam, ibi plúrimumst. || Revocémus homi-
Sta ílico. || Hem. (Similiter Herm. in. el. d. m. pg. 93). [nem.

Sed horum quoque versuum quartus improbandus est: bis enim Terentius dipodiam trochaicam catalecticam in initio cantici videtur usurpavisse Eun. II. 3. 1, Phorm. III. 2. 1, ut octonarius iambicus subsequatur: numquam tamquam clausulam antecedentibus trochaicis octonariis subiunxit. Equidem hos versus aliter restituendos esse censeo. Sequor cum Umpfenbachio librum Bembinum, ut primus et secundus versus iambici octonarii sint. Iam restant verba:

Sanun es. || Domum ire pergam, ibi plurimumst. || Revocemus hominem. Sta ilico. || Hem.

quibus ex Adelph. versu III. 2. 22 aptam medelam adhibeamus:

Sed césso eram hoc malo ímpertiri própere. || Revocemús: Geta. || Hem.

cuius versus posterior pars huius Phorm. versus simillima est. Nam si in hoc quoque Phormionis versu vocem *hominem* omiserimus, iambicus octonarius prodibit, quem hoc ordinis trochaici loco desideramus:

Sanún es? || Domum ire pérgam, ibi plurimúmst. || Revocemus: Sta ílico. || Hem.

Verba autem *Sta ilico* fortasse eodem iure hoc loco Phaedriae tribuerimus, quo in Adelphis *Geta* Sostratae tributum est, praesertim cum in Bembino codice Antiphonis signum a recenti correctore super verbis *Sta ilico* additum sit.

Quod si recte huius cantici versus ex libris restituimus, hi duo trochaici ordines simplices statuendi sunt:

I.	II.
Troch. oct.	Troch. oct.
Troch. sept.	Troch. oct.
Troch. sept. sive iamb. oct.	Troch. sept.
Troch. sept. sive iamb. oct.	Troch. sept.
Troch. semisept. sive iamb. quat.	Troch. semisept.
Iamb. oct.	Iamb. oct.
Iamb. oct.	Iamb. oct.
Iamb. oct.	Iamb. oct.

§ 4.

Tres denique scaenae extant, in quibus omnino iidem versus ac supra occurrunt, sed alio tamen ordine dispositi traduntur. In Hecyrae V. 4 scaena hi versus e libris eruendi videntur esse:

Víde, mi Parmeno, étiam sodes, út mi haec certa et clára attuleris,
Né me in breve hoc conlícias tempus gaúdio hoc falsó frui.
|| Vísum est. || Certen? || Cérte. || Deus sum, si hóc itast. || Verum réperies.
|| Máne dum sodes: tímeo ne aliud crédam atque aliud núnties.
|| Maneó. || Sic te dixísse opinor, ínvenisse Mýrrhinam
Bácchidem anulúm suom habere. || Fáctum. || Eum quem olim eí dedi:
Eaque hoc te mihi núntiare iússit: itane est fáctum? || Ita inquam.

|| Quís me est fortunátior venustátisque adeo plénior?
'Egone te pro hoc núntio quid dónem? quid? quid? néscio.
|| 'At ego scio. || Quid? || Níhil enim:
Nám neque in nuntió neque in me ipso tíbi boni quid sít scio.
|| 'Egon qui ab orco mórtuom me réducem in lucem féceris
Sinám sine munere á me abire? ah nímium me ingratúm putas.

Ergo hanc versuum consecutionem habemus:

1 Troch. oct.
3 Troch. sept.
1 Iamb. oct.
1 Troch. sept.
1 Troch. oct.
2 Troch. sept.
1 Troch. semisept.
2 Troch. sept.
1 Iamb. oct.

Versuum ordo in hoc cantico turbatus est: nam si duo simplices ordines statuendi sunt, versus 6 iambicus sit necesse est: sin unus ordo amplificatus scribendus est, versus 5 trochaicis numeris includendus est. Hoc editores alii aliter iam fecerunt, ut legem Bentleianam, ne paribus versibus impar immisceretur, servarent: Bentleius ipse pro *dixisse dixe* scripsit, Fleckeisenus verborum *dixisse* et *opinor* ordinem invertit: quae utraque emendatio facillima est. Tamen fatendum est nos neutram amplexaturos esse, nisi ordinem nostrum servare vellemus. Sed hoc quivis facile concedet ordinem, quem in permultis scaenis a poeta institutum esse videmus, nisi in graviorem suspicionem, quam hoc loco, libri vocabunt, abiciendum non esse. Itaque consentio cum editoribus mendum in libris delitescere, ac Bentleiana emendatione, quae mihi ob maiorem numerorum iucunditatem magis probatur, recepta hunc amplificatum trochaicum ordinem statuo:

Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. sept. cum semisept.
Iamb. oct.

Semiseptenarius in hoc ordine nec octonarium trochaicum excipit, ut Eun. IV. 6, Ad. IV. 1, Phorm. V. 1, Hec. IV. 1 al., nec totam trochaicorum versuum partem claudit ut Phorm. I. 4, sed inter medios trochaicos septenarios inseritur, unde hoc quoque loco semiseptenarium trochaicum septenarii vice fungi apparet.

In Adelphorum II. 1 scaena versus 1 — 5 aptissime ad simplicem ordinem accommodantur: nam inter se subsequuntur

3 Troch. oct.
1 Troch. semisept.
1 Iamb. oct.

Deinde poeta ad alterum ordinem progressus est, in quo, si libris fides habenda est, versus hoc modo inter se disponuntur:

Aéschine, audi, né te ignarum fuísse dicas meórum morum,
Léno ego sum. || Scio. || 'At ita, ut usquam fuít fide quisquam óptuma.
Tú quod te postérius purges, hánc iniuriám mihi nolle
Fáctam esse, huius non fáciam. crede hoc, égo meum ius pérsequar:
Néque tu verbis sólves umquam, quód mihi re male féceris.
Nóvi ego vestra haec: nóllem factum. iús iurandum dábitur te esse
Indígnum iniuria hác, indignis cum égomet sim acceptús modis.
|| 'Abi prae strenue ác fores aperi. || Céterum hoc nihilí facis.
I íntro nunciám tu. || Enim non sinam. || 'Accede illuc, Pármeno:
Nímium istuc abísti: hic propter húnc adsiste: em, síc volo.
Cave núnciam oculos á meis oculis quóquam demoveás tuos,
Ne móra sit, si innuerím, quin pugnus cóntinuo in mala haéreat.
|| Istúc volo ergo ipsum éxperiri. || Em, sérva. || Omitte múlierem.
|| O fácinus indignúm. || Geminabit, ní caves. || Ei miseró mihi.
|| Non ínnueram: verum ín istam partem pótius peccató tamen.

Hic igitur versuum ordo libris traditur:

1 Troch. oct.
1 Troch. sept.

1 Troch. oct.
2 Troch. sept.
1 Troch. oct.
1 Iamb. oct.
3 Troch. sept.
5 Iamb. oct.

Iterum unus versus 12, qui iambicus octonarius in libris est, ordini nostro adversatur, ceteri optime adaptantur. Bentleius primus in hoc iambico octonario offendit, quod trochaicum octonarium excipit, ac versuum distinctione mutata legitimum ordinem sic restituit:

Nóvi ego vestra haec: nóllem factum, iúsiurandum dábitur te esse in-
Dígnum iniuria hác, indignis cum égomet sim acceptús modis.

Quae emendatio, quamvis facilis sit, tamen omnibus audacior visa est, quam ut eam probarent, unde factum est, ut hic versus pluribus in dies coniecturis tentaretur: Hermannus proposuit: *íusiurándum dábitur te índignum-'Esse iniuria hác*, Fleckeisenus: *dábitur iusiurándum, indignum - Te ésse iniuria hác*, Conradtius: *iúsiurandum iniúria hac - Dábitur te esse indígnum*: quae mutationes quanto Bentleiana emendatione sunt difficiliores, tanto minus probandae videntur. Neque magis Umpfenbachio assentiri possum, qui librorum distinctione neglecta ipse versus fecit, troch. dim. ac., troch. octonarium, troch. semiseptenarium, quorum primus nusquam in Terentianis fabulis occurrit. Quae cum ita sint, equidem in Bentleiana emendatione acquiesco, cum melius neque a me ipso inventum neque a doctis viris prolatum habeam, atque inde a versu 6 trochaicum ordinem amplificatum scribendum esse duco:

Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Confero hanc poetae audaciam, qua compositum verbum in

duas partes disiunxit, cum alia, qua praepositiones a suis nominibus divulsas in exitum antecedentis versus posuit (cf. exempla quae in pg. 24 attuli).

Iterum autem confitendum est etiam hanc mutationem nobis accipiendam esse, ne ordo trochaicus collabefiat, quem in ceteris scaenis servatum esse cognovimus.

Denique in Hecyrae IV. 3 scaena libri ordini trochaico refragantur. Tota scaena bipertita est: prior pars, in qua Laches et Pamphilus et Sostrata inter se colloquuntur, sex versibus continetur, quorum postremo poeta ad alteram partem transit. Altera pars, in qua Laches et Pamphilus soli verba inter se commutant, decem versus complectitur, quorum postremo poeta iterum ad sequentem actionis partem progreditur. Atque altera pars legitimo trochaico ordine amplificato astricta est, ut deinceps legantur

Troch. oct.
Troch. sept.
Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. quatern.

Clauditur igitur hic ordo iambico quaternario, qui, cum iambicus octonarius nullus praecedat, in vicem iambici octonarii eodem iure usurpatus est, quo semiseptenarium trochaicum iam saepius septenarii trochaici vice positum esse cognovimus. Qui autem versus in priore parte legendi sint, propter vitia in libris inveterata dictu difficile est.

Versus 1 in libris iambicus septenarius est:

Quem cum ístoc sermonem hábueris, procul hínc stans accepi úxor.

Versus 2 aut iambicus octonarius:

Istúc est sapere, qui úbicumque opus sit ánimum possit fléctere.

aut, si pro *istuc stuc* pronuntiamus, trochaicus septenarius. Versus 3, quem Terentii non esse cum Fleckeiseno iudicare non ausim, Bentleii lenissima emendatione trochaicus septenarius fit:

Quód faciundum sít fortasse póst, idem hoc nunc si féceris.

Versus 4 est trochaicus septenarius:

|| Fórs fuat pol. || 'Abi rus ergo hinc: íbi ego te et tu mé feres.

Versus 5 iambicus octonarius:

|| Speró mecastor. || I érgo intro et compóne quae tecúm simul.

neque enim est, cur Bembini auctoritate diffisi cum correctore recenti et cum Calliopianis libris pro *mecastor ecastor* scribamus. Versus 6 denique, quem Sostrata loquens e scaena discedit, senarius est:

Ferántur: dixi. || Ita út iubes faciám. || Pater.

Omisso autem senario, quo ad alteram actionis partem transeatur, hi versus in priore cantici parte leguntur:

Iamb. sept.
Iamb. oct. sive Troch. sept.
Troch. sept.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Ergo duo versuum genera habemus, quae in trochaicis ordinibus poni solent, trochaicum septenarium et iambicum octonarium: abest trochaicus octonarius, quem in primo versu delitescere facile quispiam opinetur. Ac profecto Bentleius hunc trochaicum octonarium effecit, cum *stans* quod libris circumfertur in *astans* mutavit:

Quém cum istoc sermónem habueris, prócul hinc astans áccepi uxor.

qua Bentleii emendatione recepta hic simplex trochaicus ordo restitutus est:

Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Hae sunt tres scaenae, in quibus libri ordinem trochaicum turbaverunt. Quas turbas etsi editores emendando iam sustulerunt, tamen accuratius et uberius tractare voluimus, quo dubitationes, quae ordinibus trochaicis obluctantur, clarius perspicerentur. Atque confitendum est has dubitationes sat graves esse nec facili ubique negotio removeri posse. Sed quoniam in ceteris scaenis libri trochaicos ordines constanter ser-

vaverunt, aut, ubi turbaverunt, ipsis turbis nos hortari videntur, ut legitimos ordines restituamus, ipsa probabilitate eo adducimur, ut etiam in his tribus scaenis, in quibus prorsus iidem versus leguntur, eundem versuum ordinem servatum esse credamus.

§ 5.

Atque haec quidem de ordinibus trochaicorum versuum: videamus nunc, quot in quoque loco versus inter se sequi poeta voluerit. Ex scaenis perlustratis apparet Terentium, quamvis constanter hunc ordinem servaverit, tamen numerum horum versuum, prout libuit, variasse: modo singuli, modo plures versus leguntur. Alias trochaici octonarii ceteros versus numero superant, velut in Eun. IV. 6, ubi novem octonarii trochaici, unus semiseptenarius et septenarius trochaicus, unus octonarius iambicus deprehenduntur, alias superant trochaici septenarii velut in Hec. V. 4, ubi novem trochaici septenarii et unus semiseptenarius, duo trochaici octonarii, unus iambicus octonarius leguntur, alias superant iambici octonarii velut in Phorm. III. 1, ubi octo iambici octonarii, quattuor trochaici octonarii, duo septenarii trochaici a poeta positi sunt.

Neque tamen negari potest eodem versuum numero repetito interdum artificiosam partium aequabilitatem in his ordinibus effectam esse: velut in Hec. V. 4 scaena, cuius versus in amplificatum ordinem adducti sunt, trochaici versus ita ordinantur, ut versus versui respondeat:

Troch. oct.	Troch. oct.
Troch. sept.	Troch. sept.
Troch. sept.	Troch. sept.
Troch. sept.	Troch. semisept.
Troch. sept.	Troch. sept.
Troch. sept.	Troch. sept.

Iamb. oct.

Similem partium aequabilitatem Terentius videtur in Phorm. I. 4 scaena sibi proposuisse, in qua si tertium, quartum, quin-

tum versum trochaicis pedibus, quod licet, metiemur, tantum non versus versui respondebit (vid. pg. 31):

Troch. oct.	Troch. oct.
Troch. sept.	Troch. oct.
Troch. sept.	Troch. sept.
Troch. sept.	Troch. sept.
Troch. semisept.	Troch. semisept.
Iamb. oct.	Iamb. oct.
Iamb. oct.	Iamb. oct.
Iamb. oct.	Iamb. oct.

Neque tamen Terentius illam aequabilitatem valde sectatus est: Nam etsi aliis quoque locis eundem ordinem simplicem ac supra bis deinceps repetivit, tamen versuum numerum nisi hoc loco nusquam exaequavit. Neque in amplificato ordine ut versus versibus responderent, poeta saepius operam dedit: nam etsi in trochaicis octonariis septenariisque repetendis causa atque opportunitas numeri versuum exaequandi data erat, tamen nisi in Hecyrae scaena, quam supra attulimus, illa versuum aequabilitas servata non est.

Omnes quas adhuc perlustravimus scaenae ita formatae erant, ut vel singuli ordines trochaici vel plures deinceps legantur, neque ulli versus aliter variati admisceantur: sed in nonnullis scaenis trochaici ordines cum aliis trochaicorum et iambicorum versuum societatibus, in quibus trochaici octonarii non occurrunt, coniunguntur: quos apte tum demum contemplabimur, cum, qua ratione trochaici et iambici versus octonariis trochaicis non admixtis inter se succedant, cognoverimus.

Cap. IV.

§ 1.

Quo frequentior versuum variatio in canticis est, eo facilius versuum consecutionis leges cognoscuntur, quo rarior, eo difficilius perspiciuntur. Duo autem versus in eis canticis,

quibus octonarii trochaici non admiscentur, frequentari solent, iambicus octonarius et trochaicus septenarius: rarius iambicus quaternarius, numquam trochaicus semiseptenarius inseritur: neque saepe iambici septenarii aut senarii in illis canticis leguntur. Quare caute agendum erit, ne ex singulis versuum consecutionibus totidem consecutionis leges cognovisse videamur.

Atque ut ab eis scaenis ordiamur, in quibus iambici octonarii et trochaici septenarii inter se variantur, in Adelphorum III. 2 scaena hi versus legendi videntur esse:

Nunc íllud est, cum, si ómnia omnes súa consilia cónferant
Atque huíc malo salútem quaerant, aúxili nihil ádferant,
Quod míhique eraeque fíliaeque eríli est. vae miseró mihi!
Tot rés repente círcumvallant, únde emergi nón potest:
Vís, egestas, íniustitia, sólitudo, infámia.
Hócine saeclum! o scélera, o genera sácrilega, o hominem ímpium,
|| Me míseram, quidnamst quód sic video tímidum et properantém Getam?
|| Quem néque fides neque iús iurandum néque illum misericórdia
Représsit neque refléxit, neque quod pártus instabát prope,
Cui míserae indigne pér vim vitium optúlerat. || Non intéllego
Satís quae loquitur. || Própius obsecro áccedamus, Sóstrata. || Ah
Me míserum, vix sum cómpos animi, ita árdeo iracúndia.
Nihil ést quod malim quam íllam totam fámiliam dari mi óbviam,
Ut ego hánc iram in eos évomam omnem, dum aégritudo haec ést recens.
Satís mihi id habeam súpplici, dum illós ulciscar (méo) modo.
Seni ánimam primum extínguerem ipsi, qui íllud produxít scelus:
Tum autém Syrum impulsórem, vah, quibus íllum lacerarém modis!
Sublímem medium prímum arriperem et cápite in terra státuerem,
Ut cérebro dispergát viam.
'Adulescenti ipsi ériperem oculos, póst haec praecipitém darem.
Céteros ruerem, ágerem, raperem, túnderem et prostérnerem.

Versus 15 claudicat, cum semipede brevior sit, quam iambici octonarii modus est, nisi forte illicitum hiatum *dum / illos* Terentio obtrudimus. Bothius *meo* ante *modo* inseruit, quae

emendatio nunc vulgo ac merito, ut videtur, recepta est. Versum 18 Bembinus sic scripsit:

Sublimem medium primum arriperem et capite in terra stuerem.

Calliopiani una voce verba sic tradunt:

Sublimem medium arriperem et capite primum in terram statuerem.

Primum ex Bembini scriptura *in terra stuerem* dilucide apparet in archetypo libri Bembini *in terra statuerem* exaratum fuisse: librarius enim verbum *statuerem* scribens a priore ad alterum T aberravit. Deinde *primum* Calliopiani libri post *capite*, Bembinus post *medium* collocarunt. Docti viri cum neque hoc neque illo loco apte explicari posse iudicarent, Palmerium, qui *pronum* post *capite* scripsit, secuti sunt. Sed ego valde dubito, num *pronum* hoc loco apte dici possit. Nam *pronus* est is, qui in anteriorem partem flexus, proclinatus, propendens est. Qui autem capite in terra statuitur, is nec flexus, nec proclinatus, nec propendens in anteriorem partem, sed plane inversus est. Contra *primum* eo loco, quo in Bembino traditur, recte explicari potest. Enumerare enim Geta modos vult, quibus Syrum lacerare in animo habet, sed primum tantummodo et gravissimum affert, cum ceteros a spectatoribus animo audiri velit. Ac sic saepius *primum* a comitibus suis *deinde*, *tum* dissociatum in Terentii fabulis occurrit, ut non tam primam in serie rerum, quam summam et gravissimam significare videatur (cf. Hec. IV. 4. 94, Andr. I. 1. 129).

Versuum autem consecutio simplicissima est: duo ordines iambico-trochaici distinguendi videntur esse, quorum uterque plures iambicos octonarios complexus binis trochaicis septenariis finitur:

Iamb. oct.	Iamb. oct. c. iamb. quat.
Troch. sept.	Troch. sept.

Animadvertendum autem est iambicum quaternarium, qui in trochaicis ordinibus ubicumque occurrebat semper clausulae vice fungebatur, in hoc quoque cantico parti ordinis subiectum

esse. Sed si quis quaternarium duobus versibus ante ordinis finem clausulam haberi posse negabit, ei putare licebit quaternarium octonarii locum in hoc cantico obtinuisse.

Eosdem ordines poeta in Andriae I. 2 scaena videtur instituisse: incipiunt huius scaenae variati versus inde a versu quarto — tres enim senarii qui antecedunt in transitu positi sunt — atque finiuntur versu undecimo, post quem interlocutores alter alterum conspicati verba inter se commutant:

Mirábar, hoc si síc abiret: ét eri semper lénitas
Verébar quorsum eváderet,
Qui póstquam audierat nón datum iri fílio uxorém suo,
Númquam cuiquam nóstrum verbum fécit neque id aegré tulit.
|| ´At nunc faciet néque, ut opinor, síne tuo magnó malo.
|| Id vóluit nos sic néc opinantis dúci falso gaúdio,
Sperántis iam amotó metu, interea óscitantis ópprimi,
Ne ésset spatium cógitandi ad dísturbandas núptias.

In versus 11 principio Bentleius, ne Trochaicus inter Iambicos obviam fieret, *ut* coniunctionem addidit, quam omnes editores praeter eos, qui hiatu *ne / esset* oblectantur, a Bentleio receperunt. Sed cum doctissimus vir ex sola compositionis lege falsa profectus *ut* adiecisse videatur, eius emendationem non probabimus. Immo finiuntur aptissime variati huius scaenae versus trochaico septenario, quo restituto hi ordines iambicotrochaici cognoscuntur:

Iamb. oct. c. iamb. quat.	Iamb. oct.
Troch. sept.	Troch. sept.

Si quis in hoc quoque cantico iambico quaternario partem ordinis claudi expectaverit, facile priorem ordinem in has partes distribuere potest:

Iamb. oct.
Iamb. quat.
Iamb. oct.
Troch. sept.
Troch. sept.

Sed cum tales ordinum partes nisi ex modis cognosci non possint, de modis autem nihil traditum sit, de ordinum partitione nescire quam hariolari malo.

Neque alii ordines in Haut. V. 3 scaena statuendi sunt, quamquam editores versus hoc quoque loco disturbaverunt. Versus sic afferam, uti distinguendi esse mihi videntur:

Profécto nisi cavés tu homo, aliquid gnáto conficiés mali.
Idque ádeo miror, quó modo tam inéptum quicquam tíbi venire
In méntem, mi vir, pótuerit.
|| Oh pérgin mulier ésse? nullamne égo rem umquam in vitá mea
Voluí, quin tu in ea ré mihi fueris ádvorsatrix, Sóstrata?
At sí rogem iam, quíd est quod peccem aut quam ób rem hoc facias: néscias,
In quá re nunc tam cónfidenter réstas, stulta. || Ego néscio?
|| Immó, scis potius, quám quidem redeat de íntegro eadem orátio. || Oh
Iníquos es, qui mé tacere dé re tanta póstules.
Non póstulo iam: lóquere: nihilo mínus ego hoc faciám tamen.
|| Fácies? || Verum. || Nón vides quantúm mali ex ea re éxcites?
Súbditum se súspicatur. || Súbditum ain tu? || Síc erit,
Mí vir. || Confitére. || Au te obsecro, ístuc inimicís siet.
'Egon confitear méum non esse fílium, qui sít meus?
|| Quid? métuis ne non, cúm velis, convíncas esse illúm tuom?
|| Quod fília est invénta? || Non: sed quó magis credundúm siet,
Quod ést consimilis móribus.
Cónvinces facile éx te natum: nám tui similis ést probe.
Nam ílli nihil viti ést relictum, quín siet itidém tibi.
Túm praeterea tálem nisi tu núlla pareret fílium.

Permulta de his verbis a doctis viris prolata sunt, quae perlustrare longum est: pauca quae ad versus constituendos pertinent attingamus. Tres priores versus sicut libri distinguunt retinui: nam quod Parisinus secundum et tertium versum uno comprehendit, distinctionis in Bembino et Ambrosiano servatae auctoritatem adeo non infringit, ut eam potius confirmare videatur cf. cap. II pg. 10. Itaque versus 2 et 3 synapheia coniunguntur, ut Andr. IV. 1. 9 et 10, Hec. IV. 1. 7 et 8, Ad. II. 2. 9 et 10, Ad. III. 3. 21 et 22, Ad. III. 4. 19 et 20.

In versibus autem 16—18 docti viri alii aliam interpolationem detexerunt et alii alia verba removenda esse censuerunt. Concedendum est paene languidam in his verbis loquacitatem inesse et quae nullis interpretandi artificiis tolli possit: neque tamen haec verba sententia cassa sunt, ut nonnulli opinantur. Uxor dicit: Numquam confiteor meum non esse filium, qui sit meus. Tum maritus cavillatur: Quid? metuis, ne non, cum velis, convincas esse illum tuum? Uxor respondet: An putas, quia filiam, quae exposita erat, meam esse tam facile convici, me item facile crepundiis nescio quibus convicturam esse filium, quem meum esse negaverim, meum esse? Contra maritus: Minime, argumentum in promptu est, quo illum tuum esse multo magis credendum est, quod in similitudine morum positum est: convinces facile ex te natum: nam tui similis est probe. Sententia igitur, quae in versu 17 inest, in versu 18 paullo uberius effunditur, unde fit, ut loquacitas quaedam in his verbis sentiatur, quamquam non tam absurda est, quam non ex vulgaris sermonis usu explicare possimus. Quare non esse nobis videtur, cur improbabile interpolatoris additamentum cum editoribus statuamus traditosque versus dissecemus.

Omissis ceteris quaestiunculis quae sunt de singulis scripturae discrepantiis nunc ordines versuum respiciamus: incipiunt iambici octonarii, quibus trochaici septenarii succedunt: deinde iambici octonarii repetuntur, quos iterum trochaici septenarii excipiunt:

Iamb. oct. c. iamb. quat.	Iamb. oct. c. iamb. quat.
Troch. sept.	Troch. sept.

Iambicus quaternarius, qui in utroque ordine iambico-trochaico occurrit, binorum versuum partem claudit:

Iamb. oct.
Iamb. oct.
Iamb. quat.

post quam partem in priore ordine primum iambici octonarii, deinde trochaici septenarii succedunt, in altero ordine statim trochaici septenarii subiciuntur.

Atque ut in his canticis ordines iambico-trochaici, ita in aliis trochaico-iambici a poeta instituti sunt, velut in Adelphorum III. 1 scaena, ubi trochaici septenarii et iambici octonarii sic inter se coniunguntur:

'Obsecro, mea nútrix, quid nunc fíet? || Quid fiát rogas?
Recte édepol spero: módo dolores, méa tu, occipiunt prímulum.
Iam núnc times, quasi númquam adfueris, númquam tute pépereris?
|| Miserám me, neminem hábeo, solae súmus: Geta autem hic nón adest,
Néc quem ad obstetrícem mittam, néc qui accersat 'Aeschinum.
Pol ís quidem iam hic áderit: nam numquam únum intermittít diem,
Quin sémper veniat. || Sólus mearum míseriarum est rémedium.
|| 'E re nata mélius fieri haut pótuit quam factum ést, era,
Quándo vitium oblátum est, quod ad illum áttinet potíssimum,
Tálem, tali ingénio atque animo, nátum ex tanta fámilia.
|| 'Ita pol est ut dícis. salvos nóbis deos quaeso út siet.

Bentleius in versu 5, quem iambicum esse volebat, ante pronomen *quem* copulam *est* inseruit, quam sententia et versu postulari dicit. Sed sententia copula *est* non postulatur, cum facile ex antecedenti versu *adest* animo audiamus: neque magis versu eam posci Bentleio credemus, quoniam legem illam Bentleianam, ut inter pares versus impares delerentur, non sanximus. Quare cum Fleckeiseno et Umpfenbachio trochaicum septenarium, qui libris traditur, retinemus. Versus 6 et iambicus et trochaicus esse potest: Fleckeisenus et Umpfenbachius, quo versum trochaicum antecedentem magis confirmarent, etiam hunc versum trochaicis pedibus mensi sunt. Sed si iambicum octonarium scribemus, paullo concinniores trochaico-iambici ordines erunt:

1 Troch. sept.	1 Troch. sept.
3 Iamb. oct.	2 Iamb. oct.

Post hos ordines quattuor trochaici septenarii libris traduntur: qui cum arto sententiarum vinculo cum antecedentibus ordinibus connexi sint nec ipsi per se canticum continuatis versibus haberi possint, variatis huius scaenae versibus attribuendi sunt. Itaque pericopa quaedam trochaica statuenda videtur esse, quae absoluta per se et ijsdem versibus, trochaicis septenariis, inclusa est.

Reliquum est, ut in Eun. II. 3 scaena ordines iambicorum et trochaicorum versuum perlustremus:

'Occidi. [meo.
Neque vírgo est usquam néque ego, qui illam e cónspectu amisí
Ubi quaéram, ubi investígem, quem percónter, quam insistám
viam,
Incértus sum. una haec spés est, ubi ubi est, díu celari nón
potest.
O fáciem pulchram: déleo omnes déhinc ex animo múlieres:
Taedét cotidiánarum harum fórmarum. || Ecce autem álterum,
Néscio quid de amóre loquitur: o ínfortunatúm senem!

Si epiphonema a sequenti versu dissolvitur, legitimus ordo iambico-trochaicus evadit, in quo quinque iambici octonarii uno trochaico septenario excipiuntur:

Epiphon.
Iamb. oct.
Troch. sept.

Deinde in Bembino, qui solus in hac scaena metricam distinctionem servavit, hi versus leguntur:

Hic véro est, qui si occéperit,
Ludum iocumque dicet fuisse illum alterum praeut huius
Rabies quae dabit [est:
|| Ut illúm di deaeque sénium perdant, quí me hodie remorátus
Meque ádeo qui ei restíterim: tum autem qui íllum flocci fécerim.

Bentleius verbis *praeut huius* ex fine noni versus in initio decimi repositis hos versus scribendos esse putavit:

Iamb. quat.
Iamb. sen.
Iamb. quat.
2 Iamb. oct.

qui versus vulgo recepti sunt. Mira vero ac singularis est haec versuum consecutio et qualis nusquam in Terentii canticis occurrit: neque tamen tradita verba aliter posse distingui videntur, nisi vero improbabili coniectura ea corrumpimus. Quod cum nolimus, dicendum nobis est singularem a poeta versuum ordinem in hoc cantico institutum esse. Fortasse duo in his versibus membra per se absoluta statui possunt, quorum alterum ex

Iamb. quat.
Iamb. senar.
Iamb. quat.

alterum ex

2 Iamb. oct.

constat. Hoc conferri potest cum versibus Ad. III. 1. 8—11, ubi trochaicam pericopam quattuor trochaicis septenariis inclusam deprehendimus.

§ 2.

Hae sunt scaenae, in quibus iambici octonarii et trochaici septenarii inter se sequuntur: ordines ita instituti sunt, ut aut iambicis octonariis trochaici septenarii, aut trochaicis septenariis iambici octonarii subiciantur: interdum etiam pericopa continuatorum versuum in fine cantici occurrit. Prorsus autem similes ordines in eis scaenis cognosci possunt, in quibus iambici octonarii aut cum senariis aut cum septenariis iambicis coniunguntur, velut in Hec. II. 1 scaena, in qua iambici octonarii et senarii sic inter se variantur:

Pro deum átque hominum fidém! quod hoc genus est, quae haéc est coniurátio!
Utin ómnes mulierés eadem aeque stúdeant nolintque ómnia
Neque déclinatam quícquam ab aliarum íngenio ullam réperias!
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.
Viris ésse adversas aéque studium est, símilis pertinácia est.
In eódemque omnes míhi videntur lúdo doctae ad málitiam:
Ei lúdo, si ullus ést, magistram hanc ésse satis certó scio.
|| Me míseram, quae nunc quam ób rem accuser néscio. || Hem,
Tu néscis? || Non, ita mé di bene ament, mí Laches,

Itaque úna inter nos ágere aetatem líceat. || Di mala próhibeant.
|| Meque ábs te inmerito esse áccusatam póst modo resciscés. || Scio.
Te inmérito? an quicquam pro ístis factis dígnum te dicí potest?
Quae me ét te et familiám dedecoras, fílio luctúm paras.
Tum autem éx amicis ínimici ut sint nóbis adfinés facis,
Qui illúm decrerunt dígnum, suos cui líberos commítterent.
Tu sóla exorere, quaé perturbes haéc tua inpudéntia.
|| Egon? || Tu ínquam mulier, quaé me omnino lápidem, non hominém putas.
An quía ruri crebro ésse soleo, néscire arbitrámini,
Quo quísque pacto hic vítam vostrarum éxigat?

Versum 4 Bentleius spurium et adulterinum et natum ex nota marginali esse iudicavit, primum quod filum orationis interrumperet, deinde quod toto pede deficeret. Atque filum orationis doctissimus vir ob eam causam hoc versu interrumpi dixit, quod secundo tertioque et quinto versu commune aliquod mulierum omnium vitium proferretur, quarto autem singulare socruum vitium inferretur, quo commune omnium mulierum vitium tolleretur. Sed nimis anxie Bentleius notionem *omnes mulieres* interpretatus est, quae non tam aurificis statera, ut cum Cicerone loquar, sed populari quadam trutina examinanda est, ut in generalibus poetarum sententiis par est. Nam *omnes mulieres* in his versibus eadem sententia interpretandum est, qua *vos* in versibus 43—45 dictum est:

. . . nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducere uxorem: e. q. s.

qua interpretatione adhibita oratio in primis versibus clara et perspicua est: Vos omnes eadem aeque studetis, unde fit, ut vos omnes nurus vestras oderitis, vos semper viris aeque adversae estis, vos in eodem ludo ad malitiam doctae estis. Quare hoc Bentleio concedere non possum orationem versu 4 interrumpi. At restat altera Bentleii causa, quod versus corruptus est, de qua corruptela omnes editores consentiunt. Fleckeisenus interpositis verbis *omnis suas* versum iambicum octonarium effecit, Umpfenbachius eum desperantis signo no-

tavit. Ego nescio, cur editores hunc versum senarium dare dubitaverint:

Itaque ádeo uno animo omnés socrus oderúnt nurus.

ita ut iambica vox *socrus* in thesi ponatur, velut saepissime in prima thesi, in secunda: Haut. II. 4. 8, in tertia: Ad. II. 1. 13, in quinta: Eun. II. 2. 51, Phorm. V. 3. 4.

Servato autem senario tres iambicorum octonariorum ordines apparent, quorum prior et tertius singulis, secundus duobus senariis finitur.

Iamb. oct.	Iamb. oct.	Iamb. oct.
Senar.	Senar.	Senar.

In Hecyrae V. 1 scaena iambici octonarii et iambici septenarii coniunguntur:

Non hóc de nihilost, quód Laches me núnc conventam esse éxpetit:
Nec pól me multum fállit, quin quod súspicor sit quód velit.
|| Vidéndum est, ne minus própter iram hanc ímpetrem quam póssiem.
Aut néquid faciam plús, quod post me mínus fecisse sátius sit.
Adgrédiar. Bacchis, sálve.
|| Salvé, Laches. || Credo édopol te non níhil mirari, Bácchis,
Quid sít, quapropter te húc foras puerum évocare iússi.
|| Ego pól quoque etiam tímida sum, cum vénit in mentem quaé sim,
Ne nómen mihi quaesti óbsiet: nam móres facile tútor.
|| Si véra dicis, níhil tibi est a mé pericli, múlier:
Nam ea aetáte iam sum, ut nón siet peccáto mi ignosci aéquom:
Quo mágis omnis res caútius ne témere faciam adcúro.
Nam sí facis factúrave es, bonás quod par est fácere,
Inscítum offerre iniúriam tibi me ínmerenti, iníquom est.
|| Est mágna ecastor grátia de istác re quam tibi hábeam:
Nam quí post factam iniúriam se expúrget, parum mi prósit.
Sed quíd istuc est? || Meúm receptas fílium ad te Pámphilum. || Ah . . .
|| Sine dícam: uxorem hanc príus quam duxit, véstrum amorem pértuli.

Mane: non dum etiam dixi id quod volui. hic nunc uxorem habet:
Quaere alium amicum tibi firmiorem, dum tibi tempus consulendi est:
Nam neque ille hoc animo erit aetatem neque pol tu eadem
te
ista aetas.

In versu 14 Calliopianorum scripturam recipiendam esse Sydowius de fide libr. Ter. pg. 66 mihi persuasit. Versus autem 19—21 ut corrupti sunt, ita multas coniecturas tulerunt, in quibus recognoscendis otio non abutar. Proficiscendum est e Bembini scriptura, quam supra in versibus 19—21 reddidi. Quam si sequemur, versus 19 iambicus octonarius erit, sicut versus 17 et 18 qui praecedunt:

Mané: non dúm etiám dixi id quod vólui. hic nunc uxórem habet.

Neque enim est, quod Bothium ceterosque editores secuti verbis *uxorem* et *habet* inversis versum iambicum septenarium esse statuamus. Versus autem 21 verba ea, quae prima manus in Bembino scripsit, corrector recens cum intellegere non posset, Calliopiano aliquo libro duce ita mutavit, ut sententiam illam quidem probabilem efferret, sed numeris versus parum consuleret. Et tamen veritas in proximo erat: una littera addita apta sententia et recta oratio recuperari poterat:

Nam neque ille hoc animo erit aetatem neque pol tua[1]) eadem ista aetas.

quae verba transpositis verbis *erit* et *aetatem* numeris iambici septenarii adaptantur:

Nam néque ille hoc animo aetátem erit neque pól tua eadem ista aétas.

Versus autem 20, sicut traditur, numeris caret: aliquid eiciendum erit: probabile autem est, iambicum septenarium a

1) Coniungendum est: *neque ille erit hoc animo aetatem, neque tua rit eadem ista aetas.*

poeta hoc quoque loco positum esse. Itaque ut scribatur suadeo:

Quaere álium tibi amicúm, tibi dum témpus consuléndi est.

Iam versuum consecutionem videamus: incipiunt iambici octonarii, quibus unus iambicus semiseptenarius et undecim septenarii iambici succedunt: deinde iambici octonarii repetuntur, numero tres, quos iterum iambici septenarii duo sequuntur.

Iamb. oct. Iamb. sept. c. iamb. semisept.	Iamb. oct. Iamb. sept.

Singularis et memoratu dignus est iambicus semiseptenarius, quem facile quispiam dixerit e ceterorum versuum consociatione dissolvendum esse, quoniam in transitu positus est. Sed cum Terentius in mediis variatis versibus eos versus, quibus ad alteram actionis partem transibat, semper ad variatos cantici versus accommodaverit (cf. VII. II. 1.), rectius hunc quoque iambicum semiseptenarium ordini inseremus ac pro iambico septenario positum esse credemus.

Ut in hac scaena iambici octonarii et septenarii, ita in Eunuchi III. 5 scaena iambici septenarii et trochaici septenarii inter se coniuncti sunt. Monodia est Chaereae adulescentis, qui e meretricis domo reversus summa laetitia exsultat ac miratur, quod nemo curiosus sibi intervenit:

Númquis hic est? némost. numquis hínc me sequitur? némo homost.
Iámne erumpere hóc licet mihi gaúdium? pro Iúppiter,
Nunc ést profecto, intérfici cum pérpeti me póssum,
Ne hoc gaúdium contáminet vita aégritudine áliqua.
Sed néminemne cúriosum intérvenire núnc mihi,
Qui mé sequatur quóquo eam, rogitándo obtundat, énicet,
Quid géstiam aut quid laétus sim, quo pérgam, unde emergam, úbi siem
Vestítum hunc nanctus, quíd mihi quaeram, sánus sim anne insániam!

Cum versus recte scripti sint neque ullam dubitandi materiem afferant, statim ordines versuum observare licet: ordiuntur

duo trochaici septenarii, qui totidem iambicis septenariis excipiuntur, iambicis autem septenariis quattuor iambici octonarii succedunt. Ambigi licet, utrum hic ordo:

Troch. sept.
Iamb. sept.
Iamb. oct.

an ille:

Troch. sept.
Iamb. sept.,

quem iambica pericopa sequitur, statuendus sit. Hoc probabilius videtur, quoniam nisi in trochaicis ordinibus numquam tres varii versus uno ordine comprehensi sunt.

Cap. V.

Quoniam igitur cantica, et in quibus trochaici ordines et in quibus trochaico-iambici vel iambico-trochaici ordines insunt, perlustravimus, nunc ea videamus, in quibus hi cum illis consociati sunt.

Proficiscamur in explicandis huius generis canticis ab Andr. scaena II. 1: Charinus cum audivisset Philumenam, quam deperibat, alium in matrimonium ducturum esse, concitatissimo animo in scaenam prodit, dum Byrria servus eum consolari et ab amore perdito avellere studet:

Quíd ais, Byrriá? daturne illa Pámphilo hodie núptum? || Sic est.
Quí scis? || Apud forúm modo e Davo aúdivi. || Ei miseró mihi.
Ut ánimus in spe atque ín timore usque ántehac attentús fuit,
Ita, póstquam adempta spés est, lassus cúra confectús stupet.
|| Quaéso edepol, Charíne, quoniam nón potest id fíeri quod vis,
'Id velis quod póssit. || Nihil volo álind nisi Philúmenam. || Ah.
Quánto satiust te íd dare operam, qui ístum amorem ex ánimo amoveas,
Quam íd loqui, quo mágis libido frústra incendatúr tua.

|| Facile ómnes, cum valémus, recta cónsilia aegrotís damus.
Tu si híc sis, aliter séntias. || Age age, út lubet. || Sed Pámphilum
Video. ómnia experíri certumst príus quam pereo. || Quíd hic agit?
|| Ipsum húnc orabo, huic súpplicabo, amórem huic narrabó meum.
Credo ímpetrabo, ut áliquot saltem núptiis prodát dies.
Intérea fiet áliquid, spero. || Id áliquid nihil est. || Býrria,
Quid tíbi videtur? ádeon ad eum? || Quídni? si nihil ímpetres,
Ut te árbitretur síbi paratum moéchum, si illam dúxerit.
||'Abin hinc in malám rem cum suspícione istác, scelus?

Versus 2 elegantiae Fleckeiseni coniectura *ei* recepta consulere non dubitamus. Versus 7 in libris iusto longior est:

Ah quanto satiust te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas tuo.

Faernus eum ita emendavit, ut *Ah* interiectionem in exitu antecedentis versus reponeret, *tuo* autem ut voculam subditivam e versu abiceret. Contra Harius pronomen *tuo*, cui omnes libri et Donatus et Augustinus patrocinarentur, non delendum, sed sequenti versui praefigendum esse censuit:

Tuo[1]) quam id loqui quo magis libido frustra incendatur tua.

qui versus aut iambicus octonarius *Tuo quam íd loquí quo mágis* aut trochaicus septenarius *Túo quam id lóqui quo mágis* haberi potest. Sed cum pronomen *tuo* nullo sententiae detrimento omitti possit, cum, quo loco additum est, versus numeros depravet, cum denique ex fine versus octavi facile in hunc quo nunc extat locum insinuari potuerit, ab interpolatione profectum esse veri paullo similius est. Denique in versus 17 initio libri B. E. D. G.: *Abi hinc*, P.: *abin hinc*, C. (P. frater): *abi* || *hinc* praebent. Libri B. E. D. G. versum misere claudicantem, P (et C) trochaicum septenarium tam acceptum tradiderunt, ut Parisini scriptura etiamsi ex emen-

[1]) Cf. Andr. III. 3. 2 et 3, Heaut. IV. 5. 46 et 47.

datione scribae artis metricae periti orta esset, tamen non improbanda esset.

Quodsi recte de his versibus iudicavimus, dubitari non potest, qui ordines statuendi sint: incipit simplex trochaicus ordo, in quo

1 Troch. oct.
  1 Troch. sept.
    2 Iamb. oct.

leguntur. Deinde amplificatus ordo trochaicus sequitur, in quo

1 Troch. oct.
  1 Troch. sept.
1 Troch. oct.
  1 Troch. sept.
    1 Iamb. oct.

insunt. Tum ordo iambico-trochaicus succedit, qui ex

7 Iamb. oct.
  1 Troch. sept.

constat. Obvii igitur inter se sunt iambici octonarii, qui trochaicum ordinem amplificatum claudunt, et iambici octonarii, qui ordinem iambico-trochaicum inchoant, ut amborum ordinum confinium nisi ex sententiarum connexu discerni non possit.

Comparari potest cum hac Andr. scaena Haut. I. 2, quae et ipsa initium a trochaico ordine capit:

Troch. oct.
  Troch. sept.
Troch. oct.
  Troch. sept. c. semisept.
    Iamb. oct.

Iambici octonarii usque ad versum 12 pertinent, quem trochaicus septenarius in omnibus libris sequitur. Editores hunc septenarium alii aliis coniecturis tentarunt, ne trochaicus inter iambicos versus veniret. Sed probabilius statuere nobis videmur in hac quoque scaena trochaicum et iambico-trochaicum ordinem consociatum esse, quorum confinium si constituere licet, inter 10 et 11 esse dicamus.

Eun. IV. 1 scaenae initium duo trochaici ordines simplices occuparunt, quorum in altero:

1 Troch. oct.
1 Troch. sept.
1 Iamb. oct.

in altero

3 Troch. oct.
1 Troch. sept.
1 Iamb. oct.

insunt: nam iniuria Bentleius versus 3 et 8, quorum uterque iambicus octonarius est, in trochaicos septenarios mutavit, neque quisquam recentiorum editorum viri doctissimi mutationes reecpit. Qui autem versus post trochaicos ordines scribendi sint, difficile est diiudicatu. In libris hi versus leguntur:

Míles vero síbi putare addúctum ante oculos aémulum:
Voluit facere contra huic aegre: heus, inquit, puer, Pamphilam
Accerse, ut delectet hic nos. illa exclamat: minime gentium:
'In convivium íllam? miles téndere: inde ad iúrgium.
'Interea aurum síbi clam mulier démit, dat mihi ut aúferam.
Hóc est signi: ubi prímum poterit, se íllinc subducét scio.

Versus 11 longior est, quam expectatur: itaque Bentleius eum cum sequenti versu synapheia coniunxit, ut versus ultima syllaba abiecta trochaicus octonarius esset. Sed quamvis recte synapheia in Terentianis fabulis statuatur, tamen hoc loco gravissimae dubitationi obnoxia est. Nam trochaicus octonarius quem Bentleius scripsit nulli trochaico ordini acommodari potest. Praeterea perfectum *voluit*, quod in antecedenti versu occurrit, in exagitatissima ancillae oratione, medium inter infinitivos, ferri non potest. Quare Hermannus, quem Fleckeisenus secutus est, perfecto *voluit* sublato et verbo *accerse* in versum 10 ascito hos versus scribendos proposuit:

Fácere contra huic aégre: heus, inquit, púer, accerse Pámphilam,
'Ut delectet híc nos. illa exclámat: minime géntium.

Quae emendatio etsi non lenissima est, tamen cum omnes difficultates expediat, mihi maxime probatur: neque ambigue ab ipso Donato confirmatur, qui in lemmate affert: accerse Pamphilam.

Hermanni autem emendatione recepta ordines versuum in nulla dubitatione versantur: trochaicis ordinibus trochaica pericopa adiecta est, quae sex trochaicos septenarios complectitur.

In eiusdem fabulae IV. 3 scaena unus trochaicus ordo cum pluribus trochaico-iambicis ordinibus coniunctus est. Pythias ancilla, postquam domi comperit, quam audax facinus Chaerea adulescentulus commisisset, iratissimas querelas effundit, quas poeta hoc trochaico ordine simplici comprehendit:

2 Troch. oct.
1 Troch. sept.
2 Iamb. oct. c. iamb. quat.

Iambicus autem quaternarius, qui inter iambicos octonarios medius interpositus neque ordinem neque sententiam claudit, iambici octonarii officio fungi putandus est.

Tum Phaedria adulescens, qui ad id tempus querelis Pythiae clam intererat, progressus ancillam alloquitur: cuius aditu ut alia actionis pars distinguitur, ita alii ordines a poeta instituti sunt. Ac primum quidem hi versus legentibus occurrunt:

Néscio quid profécto absente nóbis turbatúmst domi.
Adíbo. quid istuc? quíd festinas? aút quem quaeris, Pýthias?
|| Ehem Phaédria, ego quem quaéram? in hinc, quo dígnus's
cum donís tuis
Tam lépidis? || Quid istuc ést rei?

De versibus 9 et 10 scribendis Parisinus et Bembinus dissentiunt. Parisinus hos versus tradit omissis levibus librarii mutationibus:

Ehem Phaédria, ego quem quaéram? in hinc,
Quo dígnus's cum donís tuis tam lépidis? || Quid istuc ést rei?

Bembinus hos:

Ehem Phaedria, ego quem quaeram? in hinc, quo dignus's cum
Tuis tam lepidis? || Quid istuc est rei? [donis

Itaque in Parisino quaternarius et octonarius iambicus, in Bembino, si *tuis* e versiculi initio in antecedentis versus exitu reponitur, octonarius et quaternarius iambicus traduntur. Uter

liber versus rectius scripserit, nisi ex ratione, qua suos quisque liber versus distinxit, cognosci non potest. In Bembino autem si versus prave distinctos esse ponimus, similis depravationis exemplum inest nullum, contra in Parisino si versus falso scriptos esse concedimus, tria similis depravationis exempla afferri possunt: Andr. I. 5. 10 et 11, Eun. II. 1. 6 et 7, Eun. II. 1. 8 et 9. Ex quo efficitur Bembini distinctionem, quamvis depravata sit, tamen veriorem esse quam Parisini, quae recta videtur. Itaque Bembino duce hunc ordinem trochaico-iambicum statuemus:

Troch. sept.
Iamb. oct. c. iamb. quat.

Deinde hi versus succedunt:

|| Rógas me? eunuchum quém dedisti nóbis, quas turbás dedit!
Vírginem, quam erae dóno dederat míles, vitiavít. || Quid ais?
|| Périi. || Temulénta es. || Utinam síc sint qui mihi mále volunt.
|| An óbsecro, mea Pýthias, quod ístuc nam monstrúm fuit?
|| Insánis: qui istuc fácere eunuchus pótuit? || Ego illum néscio,
Qui fúerit: hoc quod fécit, res ipsa índicat.

Cum primus versus et iambicus octonarius: *Rogás me? eunúchum* et trochaicus septenarius: *Rógas me? eunúchum* esse possit, haesitamus, quales ordines statuendi sint. Nam si iambicus octonarius legitur, hi duo ordines apparent:

1 Iamb. oct.	2 Iamb. oct.
2 Troch. sept.	1 Senar.

sin trochaicus septenarius, hic unus ordo trochaico-iambicus offertur:

3 Troch. sept.
2 Iamb. oct.

cui senarius clausulae instar subicitur. Hic ordo cum simplicior et ad hoc canticum magis conveniens sit, sine dubio praeferendus videtur esse. Denique in fine cantici iambici octonarii sequuntur, qui, si libros sequimur, versu 20, trochaico septenario, in duas partes dividuntur. At valde displicet hac divisione eiusdem enunciati membra in diversas partes disici. Itaque Fleckeiseni emendationem (*illic* pro *ille*) comprobandam

esse censeo, qua recepta in fine huius cantici iambica pericopa statuenda est, qua 9 iambici octonarii includuntur.

Medius inter trochaicos ordines in Eun. II. 1 scaena trochaico-iambicus ordo insertus est. Principium huius scaenae oritur a simplici ordine trochaico, in quo

1 Troch. oct.
1 Troch. sept.
1 Iamb. quat.

inter se succedunt. Deinde ordo trochaico-iambicus infertur, cuius versus quamvis prave in libris distincti sint, tamen recte iam a Faerno scripti sunt:

2 Troch. sept.
1 Iamb. oct. c. iamb. quat.

Iam vero hi duo versus in editionibus omnibus circumferuntur:

Múnus nostrum ornáto verbis, quód poteris: et istum aémulum,
Quod póteris, ab ea péllito.

qui versus cum neque antecedenti ordini trochaico-iambico adici, neque sequenti ordini trochaico praeponi possint, si recte traditi essent, singularem ordinem nobis offerrent. Sed librorum distinctio valde disturbata est. Bembinus hos versus tradit:

Munus nostrum ornato verbis, quod poteris: et istum
Aemulum, quod poteris, ab ea pellito.

Parisinus hos:

Munus nostrum ornato verbis, quod poteris:
Et istum aemulum, quod poteris, ab ea pellito.

Quae huius pravae in libris distinctionis causa sit, in propatulo non est. Certe autem distinctio depravata est. Quare nobis ipsis licebit versus distinguere, qui ceterorum ordini melius adaptentur. Itaque versus sic scribendos propono:

Múnus nostrum ornáto verbis, quód poteris: et istum aémulum, quod
Póteris, ab ea péllito.

qui versus si sequenti versuum ordini praeponuntur, hunc amplificatum trochaicum ordinem inchoant:

Troch. oct.
    Troch. semisept.
Troch. oct.
    Troch. sept.
        Iamb. oct.

In fine denique huius cantici ordo iambico-trochaicus delitescit: nam finitur canticum trochaico septenario, cui iambici octonarii praecedunt. Rursus igitur iambici octonarii, quibus trochaicus ordo finitur, et iambici octonarii, quibus iambico-trochaicus ordo inchoatur, inter se concurrunt: quorum lubricum confinium si e sententiarum connexu cognosci liceat, post versum 13 esse arbitremur.

Ut in hac scaena ordo trochaico- iambicus medius inter trochaicos ordines, ita in Andr. I. 5 scaena ordo trochaicus medius inter ordines trochaico-iambicos receptus est. Libri et editores de versibus huius cantici scribendis prope una voce consentiunt; itaque statim ad ordines explicandos aggredi licet.

Ac primum quidem locum pericopa iambica occupavit, quae quattuor octonarios complexa iambico quaternario clauditur. Deinde ordo trachaico-iambicus occurrit prorsus similis eius ordinis, quem in secundo loco antecedentis cantici explicavimus.

2 Troch. sept.
    1 Iamb. oct. c. iamb. quat.

Atque etiam in fine huius cantici ordo trochaico-iambicus legitur, qui a versu 21—31 pertinens

5 Troch. sept.
    6 Iamb. oct.

comprehendit. Inter hos autem duos trachaico-iambicos ordines trochaicus ordo amplificatus interponitur, in quo

1 Troch. oct.
    1 Troch. semisept.
1 Troch. oct.
    4 Troch. sept.
        3 Iamb. oct. c. iamb. quat.

insunt. Optimo iure quispiam dixerit: quid? iambicus quaternarius, qui singulos antecedentes ordines clausit, videturne

hunc quoque ordinem trochaicum claudere? Difficile est de hac quaestione certo iudicare: sed cum sententia huius ordinis paullo aptius versu 20 quam 17 claudatur, etiam ordo ipse paullo probabilius versu 20 quam 17 finiri videtur.

Reliquum est, ut in Phorm. III. 2 scaena versuum ordines explicemus. Phaedria adulescens et Dorio leno in scaena adsunt: adulescens lenoni acerrime instat, ne citharistriam ante hoc triduum vendat:

Dório!
Audi óbsecro. || Non aúdio. || Parúmper. || Quin omítte me.
|| Aúdi quod dicam. || 'At enim taedet iam aúdire eadem míliens.
||'At nunc dicam quód libenter aúdias. || Loquere, aúdio.
|| Nón queo te exoráre, ut maneas tríduom hoc? quo núnc abis?
|| Mirábar, si tu míhi quicquam adferrés novi.

Ut Eunuchi II. 3 scaena, ita hoc quoque canticum ab epiphonemate orditur, quod ordo iambico-trochaicus sequitur:

Epiphon.
Iamb. oct.
Troch. sept.

cui ordini senarius clausalae loco subiectus est (cf. Eun. IV. 3. 16). Deinde hi versus legendi videntur:

'Ei metuo lenónem nequid — || Súo suat capiti? ídem ego vereor.
|| Nón [dum] mihi credis? || Háriolare. || Sín fidem do? || Fábulae.
|| Faéneratum istúc beneficium púlchre tibi dicés. || Logi.
|| Créde mihi, gaudébis facto. vérum hercle hoc est. || Sómnia.
||'Experire: nón est longum. || Cántilenam eandém canis.
|| Tu míhi cognatus, tú parens, tu amícus, tu ... || Garrí modo.

Versum 6, octonarium trochaicum, omnes editores aversati *ei* coniunctione antecedenti versui agglutinata iambicum septenarium effecerunt: atqui nulla in hoc iambico septenario elegantia numerorum laudari, nulla in illo trochaico octonario duritia vituperari potest. Quare trochaicum octonarium cum libris retinere quam malum septenarium cum editoribus efficere

malumus. Versus qui hunc octonarium sequitur in Bembino iambicus octonarius, in Calliopianis trochaicus septenarius est: quaeritur, uter versus scribendus sit. Si quis hanc quaestionem auctoritate librorum et depravationum probabilitate satis perpensis diiudicare voluerit, sine ulla dubitatione Bembini versum verum esse confirmaverit. At tamen sententia et leges metricae suadent, ut Calliopianorum versum praeferamus: *Dum* enim, quam voculam solus Bembinus servavit, hoc loco valde languet, quod Conradtius rectissime vidit. Nam qui rogitat: *Non dum mihi credis*, eum multa antea confirmasse et promisisse putamus. Phaedria autem antea nihil confirmavit aut promisit. Porro etiam legis metricae postulant, ut Calliopianis assentiamur: nam trochaicum octonarium semper trochaicus, numquam iambicus sequitur: antecedens autem versus in omnibus libris trochaicus octonarius est. Quare Calliopianos secutus *dum* voce omissa trochaicum septenarium scribendum esse duco. Versum denique 11 editores deleto pronomine *mihi* trochaicum septenarium esse voluerunt, ne iambicus versus inter trochaicos obviam fieret. Sed si modo omnibus libris fides habenda est, hic versus iambicus octonarius sit necesse est, quo servato hic simplex ordo trochaicus apparet:

Troch. oct.
Troch. sept.
Iamb. oct.

Restant septem huius cantici versus, qui sic scribendi videntur esse:

'Adeon ingenio ésse duro te átque inexorábili,
'Ut neque misericórdia neque précibus mollirí queas!
|| 'Adeon te esse incógitantem atque ínpudentem, Phaédria,
Ut mé phaleratis dúcas dictis ét meam ductes grátiis!
|| Míseritumst. || Ei, véris vincor. || Quam úterque est similís sui.
|| Neque, 'Antipho alia cum óccupatus ésset sollicitúdine,
Tum hoc ésse mi obiectúm malum! Ah, quid istúc est autem, Phaédria?

In fine versus 14 Bembinus verba *sine modo* addit, ut creticus pes extra recti septenarii modum excedat: quae verba cum Calliopiani libri omnes omiserint, recte editores ut inter-

pretamentum ad *inpudentem* ascriptum removerunt. Vers. 15 in Bemb. iambicus octonarius, in Calliopianis libris trochaicus septenarius est. Hoc autem loco nec sententia nec legibus metricis certo constitui potest, uter versus scribendus sit: itaque si tantummodo auctoritate et probabilitate res diiudicanda est, Bembini versus comprobandus atque hi duo ordines trochaico-iambici statuendi videntur esse:

Troch. sept.	Troch. sept.
Iamb. oct.	Iamb. oct.

Hae sunt scaenae, in quibus trochaici et iambici versus inter se variati sunt. Quorum versuum in ordines distributio etsi certis regulis comprehendi potest, tamen in quibusdam canticis dubia et impedita mansit ac fortasse semper manebit, nisi Plautinis canticis diligenter excussis accuratius, quae canticorum sit compositio, cognoverimus. Ut nunc quidem scientia nostra in his rebus metricis comparata est, duo potissimum in canticis explicandis et enodandis tenenda sunt: primum anxie verendum est, ne quis temere versum inter pares imparem deleat, deinde accurate id agendum est, ut versus, qui cuique versuum generi addi et interpositis quibusdam intervallis redire solent, cognoscantur.

Attendendum denique est in paucis scaenis etsi natura variatorum versuum apparet, tamen versus perraro variatos esse. In Phormionis II. 1 scaena canticum a duobus trochaicis septenariis incipit, quos iambici octonarii usque ad versum 21, quo canticum finitur, continuati sequuntur. Quacum cantici foma nescio an apte conferri possit Eun. V. 8 scaena, in quo cantico praeter primum versum, trochaicum septenarium, tantummodo iambici octonarii insunt. Neque minus Adelphorum II. 2 scaena huc referenda videtur esse, in qua primum versum, iambicum septenarium, continuati iambicii octonarii excipiunt. In Andriae denique V. 5 scaena Hermannus e librorum scriptura depravata recte videtur cognovisse duo priores versus iambicos octonarios esse, quos inde a versu 3 trochaici septenarii sequuntur cf. Herm. el. doctr. metr. pg. 176, Haupt opp. III. pg. 520.

Cap. VI.

Atque haec quidem de canticis, quae ex iambicis et trochaicis versibus constant. Nunc, ut propositum erat, in ea cantica inquiramus, quae bacchiacis et creticis versibus inclusa sunt: qui cum in duabus tantummodo scaenis obviam fiant, non est mirum, quod iudicium in eorum consecutione explicanda vacillat.

In Andriae III. 2 scaena Lesbia obstetrix sola loquitur: quae ubi de scaena excessit, iambici octonarii continuantur:

Adhúc, Archylís, quae adsolént quaeque opórtet
Signa ésse ad salútem, omnia huíc esse vídeo.
Nunc prímum fac ísta ut lavét: poste deínde,
Quod iússi ei darí bibere et quántum imperávi,
Date: móx ego huc revórtor.
Per ecástor scitus púer est natus Pámphilo.
Deos quaéso ut sit supérstes, quandoquidem ípsest ingenió bono,
Cumque huíc est veritus óptumae adulescénti facere iniúriam.

In versu 3 *poste* cum Fleckeiseno scribendum videtur esse, cum *deinde* in Terentianis fabulis, ubicumque legitur, semper in duas syllabas contractum sit. In versu 8 libri B. C. E. G. P. tradunt *veritus est*, lib. D.: *veritus ē <u>veritus</u>.* Si verborum collocationi in libris B. C. E. G. P. fides haberi potest, hic trochaicus septenarius scribendus est:

Cúmque huic veritust óptumae adulescénti facere iniúriam.

Sin in D libro rectae verborum collocationis vestigium relictum est, editorum hic iambicus octonarius comprobandus est.

Cumque huíc est veritus óptumae adulescénti facere iniúriam.

Concedendum autem est in ipsa verborum collocatione Calliopianorum fidem valde infirmam esse. Itaque ex sola cantici compositione colligendum est, uter versus hoc loco scribendus sit.

Ex sententia autem et ex metro apparet, duas in hoc cantico partes distinguendas esse: prior pars bacchiaca perci-

copa est, quae iambico semiseptenario clauditur, altera pars aut iambico-trochaica, aut iambica est: nam aut

Sen.
Iamb. oct.
Troch. sept.

aut

Sen.
2 Iamb. oct.

legendi videntur esse. Sed cum iambico-trochaicis ordinibus numquam tres versus varios comprehensos esse viderimus, probabilius

1 Sen.
2 Iamb. oct.

statuemus.

Creticos autem et bacchiacos versus poeta in eiusdem fabulae IV. 1 scaena coniunxisse inter se videtur. Charinus adulescens longiore soliloquio perfidiam hominum castigat, quam castigationem poeta his versibus inclusit:

Hócinest credibíle aút memorabilé,
Tánta vecórdia innáta cuiquam út siet,
'Ut malis gaúdeant átque ex incómmodis
'Alteriús sua ut cómparent cómmoda? Ah
'Idnest verum? ímmo id est génus hominum péssumum, in
Dénegandó modo quís pudor paúlum adest:
Póst ubi témpust promíssa iam pérfici,
Túm coactí necessário se áperiunt:
'Et timent, ét tamen rés premit dénegare:
'Ibi tum eorum ínpudentíssuma orátiost:
Quís tu es? quis mihi és? cúr meam tibí?
Heus, próxumus sum egomét mihi.
At támen ubi fidés? si rogés, nihil pudént hic,
Ubi ópus est: illi úbi nihil opúst, ibi veréntur.

Versum 1 huius soliloquii alii aliis pedibus mensi sunt. Primus Spengelius recte observavit antepaenultimam syllabam vocis *hocine* semper correptam esse. Itaque doctissimus ille vir trochaicum dimetrum hypercatalectum a Terentio scriptum

esse arbitratus est. Numquam autem Terentius tali versu usus est. At numeri huius primi versus etiam duplicis tripodiae trochaicae catalecticae esse possunt:

⏖́ ⏓ ⏖ ⏑ –́ || ⏖́ ⏓ ⏖ ⏑ –́:

qui numeri cum in versu 11 eiusdem cantici legantur, haud improbabiliter in hoc quoque versu statuuntur. Versus 6 metrum in libro Parisino depravatum est: sed facile et apte emendatur praepositione *in* antecedenti versui addita (cf. exempl. in pg. 24). Versus 9, quem spurium esse Fleckeisenus iudicavit, aptissime a Spengelio explicatus est. Ultima autem huius versus syllaba ante litteram initialem sequentis versus elidenda est, cuius elisionis exempla in pg. 42 congessimus. Denique versus 13 et 14 in libro Parisino prave distincti sunt:

> At tamen ubi fides? si roges, nihil pudet hic, ubi opus est:
> Illi ubi nihil opust, ibi verentur.

Proficiscendum est ex verbo *verentur*, quod sine dubio in exitu versus ponendum est. *Verentur* autem in fine aut bacchiaci versus, aut iambici septenarii vel semiseptenarii poni potest. Si iambicus semiseptenarius scribitur, verba quae antecedunt intra iambici octonarii cancellos conici possunt:

> At támen ubi fides? sí roges, nil púdet hic, ubi opust: ílli ubi
> Nihíl opust, ibi veréntur.

sin septenarius scribitur, verba quae antecedunt tetrametro cretico includenda sunt (A. Spengel):

> 'At tamen úbi fides? sí roges, níl pudet
> Hic, úbi opus est: illíc ubi nil ópus est, ibi veréntur.

sin denique bacchiacus tetrameter scribitur, etiam antecedens versus bacchiacus tetrameter evadit. (Fleck. et Umpf.)

> At támen ubi fidés? si rogés, nihil pudént hic,
> Ubi ópus est: illi úbi nihil opúst, ibi veréntur.

Qui versus scribendi sint, nisi e cantici compositione cognosci non potest: itaque ordines horum versuum perlustremus.

Duae autem partes in hoc soliloquio cognosci possunt: prior cretica pericopa est, quam duplex tripodia trochaica

cat. et inchoat et claudit: quacum pericopa nescio an apte Eun. II. 3 versus 8—10 conferri possint. Alterius partis versus dubii sunt: aut ordo iambicus:

Iamb. quat.
Iamb. oct.
Iamb. semisept.

aut iambico-creticus:

Iamb. quat.
Cret. tetram.
Iamb. sept.

aut iambico-bacchiacus:

Iamb. quat.
2 Bacch. tetram.

statuendus est. Primi autem et secundi ordinis simile exemplum in Terentianis fabulis non occurrit: at cum tertio ordine apte conferri possunt Andr. III. 2 versus 6—8: probabilius igitur tertium ordinem recipiemus.

Charinus postquam his versibus perfidos hominum mores carpsit, secum animo reputat, quid sibi faciendum sit. In hoc tempore Pamphilus domo sua prodit ac statim Charinum alloquitur. Poetae autem etiam colloquii initium variatis versibus includere libuit: sed ut aliam actionis partem, ita etiam alios versuum ordines instituit. Duo enim ordines trochaico-iambicos scripsit, quorum alter ex

2 Troch. sept.
2 Iamb. oct.

alter ex

7 Troch. sept.
5 Iamb. oct.

compositus est.

In sequentibus fabulis, in Eunucho, in Hautontimorumeno, in Phormione, in Hecyra nullum canticum extat, quod non iambicis vel trochaicis iambicisque versibus variatum sit. Sed in Adelphorum IV. 4 scaena choriambici versus occurrere videntur. Docti viri hanc scaenam a librariis vehementer turbatam esse rati choriambicos numeros in aliis versibus deleverunt, in aliis servaverunt. Conradtius vero versuum distinc-

tione quae in libris est susque deque habita et mutandi modestia spreta omnes choriambicos versus disiciendos esse censuit. Sed libri miro consensu huius cantici verba tradiderunt, ut ne ulli quidem loco dubitatio e librorum memoria oriatur, ac ne de versibus quidem distinguendis libri in hoc cantico magis quam in ceteris inter se dissentiunt. Bembinus enim ut in versibus Eun. II. 3. 1 et Phorm. III. 2. 1, ita in huius quoque cantici versu 1 versiculum incipientem cum sequenti longiore versu copulavit, quos cum Parisinus et Ambrosianus recte disiunxerint, tum Rufinus (aut ipse Varro) seorsum legit (cf. Ruf. pg. 556 K). Praeterea Bembini versum 3 Parisinus et Ambrosianus in duo dissecuerunt, ut suum cuique sententiae versum assignarent. Sed cum Parisini et Ambrosiani versus ad nullos numeros accommodentur, ad aptissimos autem Bembini versus, Bembini distinctio vera habenda est. Denique Bembini versum 7 et 8 P. et F. in unum contraxerunt: solent autem P. et F. versus ita vitiare, ut versiculos ad antecedentes longiores versus agglutinent (cf. pg. 10): itaque hoc quoque loco Bembini distinctio servanda est. Quae cum ita sint, hi versus distinguendi erunt:

Discrucior animi.
Hocine de inproviso mali mihi obici tantum,
Ut neque quid me faciam nec quid agam certum siet!
Membra metu debilia sunt, animus timore obstipuit,
Pectore consistere nihil consili quit. vah,
Quo modo me ex hac expediam turba?
Tanta nunc suspicio de me incidit: neque ea inmerito:
Sostrata credit mihi me psaltriam hanc emisse: id anus
Mi indicium fecit. [ilico
Nám ut hinc forte ea ad óbstetricem erat míssa, ubi eam vidi,
Accédo: rogito, Pámphila quid agát, iam partus ádsiet,
Eon óbstetricem accérsat. illa exclámat: abi, abi: iam,
'Aeschine,
Satis diú dedisti vérba: sat adhuc túa nos frustratást fides.
Hem, quíd istuc obsecro, ínquam, est? valeas, hábeas illam
quaé placet.
Sensi ilico id illas súspicari: séd me reprehendí tamen,
Ne quíd de fratre gárrulae illi dícerem ac fierét palam.

Deinde trochaici septenarii ad finem huius scaenae continuantur. Versuum 10—16 consecutio facile apparet: ordo enim est trochaico-iambicus, in quo

1 Troch. sept.
5 Iamb. oct.

inter se sequuntur. Sed versus qui antecedunt valde impediti videntur esse. Proficiscamur in eorum numeris explicandis a versu 3:

3. Ut neque quid me faciam nec quid agam certum siet:
–́ ⏑⏑ – | –́ ⏑⏑ – || –́ ⏑⏑ | – – | –́ ⏑ | ⏓
dim. choriamb. + troch. dim. cat.

4. Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit:
–́ ⏑⏑ – | –́ ⏑⏑ ⏓ || –́ ⏑⏑ | – ⏑ | –́ – | ⏖ ⏓
dim. choriamb. + troch. dim. ac.

5. Pectore consistere nihil consili quit. Ah,
–́ ⏑⏑ – | –́ ⏑⏑ ⏓ || –́ ⏑ | – ⏑ | ⏑́⏑
dim. choriamb. + troch. trip. cat.

Libri *vah* tradiderunt: sed cum in trochaicis tripodiis catalecticis paenultimus trochaeus purus esse debeat, pro *vah ah* scribere ausus sum.

6. Quomodo me ex hac expediam turba?
–́ ⏑⏑ – || –́ – | ⏖ – | –́ ⏓
monom. choriamb. + troch. trip. ac.

In omnibus his versibus incipiunt choriambi, quibus trochaici numeri succedunt: alii autem numeri in versu 2 occurrunt, in quo choriambi locum creticus occupavit:

2. Hocine de inproviso mali mihi obici tantum,
⏑́⏑ ⏑ – | –́ – – || ⏑́⏑ ⏑ | ⏖ – | –́ ⏓
dim. cret. + troch. trip. ac.

Versus autem 7 et 8 his numeris continentur:

7. Tanta nunc suspicio de me incidit: neque ea inmerito:
–́ ⏑ | – – | –́ ⏑ | – – | –́ ⏑ | – ⏖ || –́ ⏑⏑ –
trim. troch. ac + monom. choriamb.

8. Sostrata credit mihi me psaltriam hanc emisse: id anus
–́ ⏑ | – – | –́ ⏑ | – – | –́ ⏑ | – – || –́ ⏑⏑ ⏓
trim. troch. ac. + monom. choriamb.

In quibus versibus pedem pedi respondere nemo est quin videat: neque enim quisquam tam pravi iudicii erit, qui talem responsionem e scribarum aut errore aut libidine profectam esse sibi persuadeat. Aptissime vero etiam hi duo versus huius cantici numeris accommodantur; ut enim in antecedentibus versibus choriambi incipiunt, sequuntur autem trochaei, ita in his versibus trochaei ordiuntur atque choriambus subsequitur. Supersunt versuum quos supra attulimus 1 et 9, qui cum prorsus similes inter se sint, eadem ratione, quam in Andriae IV. 1 scaena cognovimus, horum versuum ordinem et inchoare et claudere videntur:

1. Discrucior animi.
⏑ ⏖ | ⏑ ⏖ | ⏓
Iamb. semiquin.

9. Mi indicium fecit
– ⏖ | ⏓ – | ⏓
Iamb. semiquin.

Quodsi recte hos numeros explicavimus, hic versuum ordo distinguendus erit:

Iamb. semiquin.
Cret. dim. + troch. trip. ac.
Chor. dim. + troch. dim. cat.
Chor. dim. + troch. dim. ac.
Chor. dim. + troch. trip. cat.
Chor. monom. + troch. trip. ac.
Troch. trim. ac. + chor. monom.
Troch. trim. ac. + chor. monom.
Iamb. semiquin.

Dicet aliquis: tales versus non modo non Terentius, sed ne Plautus quidem umquam conglutinavit, neque probabile est poetam, qui post primam fabulam trochaicis iambicisque versibus se continuit, in ultima fabula choriambicis versibus usum esse. Sed qui sic argumentatur, in probabilitate lubrica nimis confidenter versatur. Quibus enim argumentis eum refellet, cui Terentius in hac Adelphorum scaena paucos Menandri

versus videtur imitatus esse? Certe libri hos versus tradiderunt: nostrum autem est traditos versus explicare atque causis confirmare. Itaque nos quoque causam quaesivimus, quam sic accipi volumus, ut non inepte saltem de imitatione graeci exempli cogitari posse existimemus.

Poeta igitur in his quoque canticis versus eisdem legibus et rationibus atque in ceteris variavit: aut duo versuum genera uno ordine comprehendit, aut ex uno versuum genere pericopas composuit, quas quo magis ex ceterorum versuum connexu discerneret, interdum eodem versu et inchoavit et clausit.

Haec fere sunt, quae mihi utilia videbantur ad illustrandam versuum in canticis consecutionem. Iam vero quid de fructu huius consecutionis iudicem, paucis adumbrabo. Ordines versuum, quos poeta instituit, non tam angustis finibus coerciti, non tam severis legibus astricti sunt, ut quot aut quales in quoque cantico versus scribendi sint, certo praefiniri possit. Itaque mirum non est, quod versuum consecutionem perscrutatus parum utilitatis ad emendandas fabulas praebuerim. Neque vero hoc me assecuturum speravi. Satis iam hac quaestione profecisse mihi videbor, si adiumentum quantulumcumque est attulero, quo elegantia ac venustas, quae in canticis Terentianis insunt, paullo magis legentibus percipiantur.

Cap. VII.

Ut denique, quod identidem iam polliciti sumus, praestemus, nunc paucis explanabimus, qua ratione ad aliam actionis partem transeatur. Ut actio variatur, ita varia ratione transiri potest: aut subito altera pars infertur neque ullum indicium fit actionem mutari, aut persona aliqua, quae in scaena adest, actionis mutationem paucis verbis indicat: modo altera alteram accedere vel abire denuntiat, modo se ipsam aliquo aut accessuram aut abituram esse narrat. In hos versus, quibus actionem mutari indicium fit, nunc paullo accuratius inquiramus.

Placet autem summam huius quaestionis certis regulis astrictam praemittere, ut, quo res evadat, facile atque uno contutu cognoscatur.

Transitus et in continuatis et in variatis versibus obviam fiunt.

I. 1. Ubi in continuatis versibus ad novam partem transitur, transitus nullo proprio metro distinctus est, si iidem versus in antecedenti et subsequenti parte perpetuantur.

I. 2. Sin in subsequenti parte alii versus atque in antecedenti leguntur, transitus aut proprio metro insignitus est, aut

I. 3. transitus aequo cum antecedentibus versibus metro coercitus est.

II. 1. Ubi in variatis versibus ad novam partem transitur, transitus nullo proprio metro distinctus est, si eidem versus variati etiam post transitum continuantur.

II. 2. Sin alii post transitum versus succedunt, transitus aut proprio metro inclusus est, aut

II. 3 transitus iisdem numeris atque antecedentes cantici versus vinctus est.

Iam vero has leges exemplis confirmemus.

I. 1.

Transitus nullo peculiari metro adstrictus est, ubi et in antecedenti et in subsequenti parte iidem versus continuantur. Primum in senariis: Andr. IV. 3. 6, Andr. IV. 5. 5—7, Eun. I. 1. 34—35, Eun. III. 2. 40, 46, 53, Eun. V. 1. 18—23, Eun. V. 2. 9—11, 66—70, Eun. V. 3. 9—13, Eun. V. 5. 4, Haut. III. 1. 17, 101—102, Haut. IV. 5. 9, 56, Haut. IV. 6. 22—24, Phorm. I. 1. 16, Phorm. IV. 2. 10—15, Hec. I. 2. 6, Hec. III. 4. 14—15, Ad. I. 1. 53—55, Ad. III. 3. 7, 84—85, Ad. III. 4. 65, Ad. V. 2. 11, Ad. V. 3. 6—7, Ad. V. 7. 25. Deinde in trochaicis septenariis: Andr. II. 1. 35—37, Eun. II. 1. 22—25, Phorm. V. 6. 12, Hec. V. 3 8—9. Tum in iambicis octonariis: Andr. III. 4. 26—27 (cf. II. pg. 12), Ad. II. 3. 11. Denique in iambicis septenariis: Eun. II. 2. 34—39, Phorm. V. 1. 38, Phorm. V. 2. 11—12, Hec. III. 2. 17.

I. 2.

Transitus proprio metro inclusus est, ubi in subsequenti parte alii versus atque in antecedenti continuantur: Andr. IV. 1. 58—59 (duo iamb. oct. inter sen. et sept. iamb.), Andr. I. 5. 64—65 (duo iamb. sept. inter sen. et var. vers.), Andr. I. 4. 7—8 (duo iamb. oct. inter troch. sept. et var. vers.), Eun. IV. 5. 12 (sen. inter iamb. oct. et var. vers.), Phorm. I. 3. 25—26 (duo iamb. sept. inter iamb. oct. et var. vers.); Ad. IV. 5. 78 (iamb. oct. inter iamb. sept. et sen.); Haut. V. 2. 47—49 (tres iamb. sept. inter iamb. oct. et var. vers.), de quorum versuum 2 cf. Sydow. de fid. libr. Ter. pg. 55, cui doctissimo viro assentior, nisi quod *me* pronomen ante *adripuisse* inserendum non esse duco: *hunc* pertinet ad Syrum: subiectum autem huius infinitivi animo facile auditur. In Andriae I. 3 scaena iamb. octonarius et senarius et iamb. octonarius inter senarios et troch. septenarios leguntur (20—22). Mirum est, quod in hoc transitu varii versus leguntur, atque magis mirum, quod horum versuum primo nulla actionis mutatio indicatur. Equidem versus depravatos esse puto, quos si coniectura tentare licet, sic scribendos proponam:

Mihí quidem hercle nón fit veri símile: at eis
Comméntum placet. Sed Mýsis ab ea egréditur. at ego hinc me ád forum, ut
Convéniam Pamphilúm, ne de hac re páter inprudentem ópprimat.

I. 3.

Transitus aequo cum antecedentibus versibus metro vinctus est, ubi in subsequenti parte alii versus atque in antecedenti continuantur. Primum in senariis: Andr. I. 2. 1—3 (cf. Born. de div. pg. 4), Andr. III. 2. 52, Andr. IV. 5. 24, Eun. I. 2. 126, Eun. IV. 2. 14, Haut. I. 1. 121, Haut. III. 2. 50, Haut. IV. 8. 30—32, Phorm. II. 4. 23—24, Phorm. IV. 4. 31, Hec. III. 4. 35—36, Hec. III. 5. 63—65, Ad. II. 2. 44—45, Ad. V. 3. 68. Deinde in trochaicis septenariis: Eun. IV. 4. 56—58, Eun. V. 4. 45—48, Eun. V. 7. 5—6, Haut. II. 3. 15, Haut. III. 3. 52, Haut. IV. 3. 44, Phorm. I. 4. 37, Phorm. II. 2. 32—33.

Tum in iambicis octonariis: Andr. II. 3. 29, Haut. II. 2. 12, Phorm. IV. 5. 15, Phorm. V. 3. 36, Phorm. V. 5. 12, Hec. III. 1. 44, Ad. IV. 3. 18. Denique in iambicis septenariis: Eun. II. 2. 58—60, Eun. III. 4. 7—10, Eun. III. 5. 64—66, Hec. III. 2. 23—25. His exemplis apparet Eun. IV. 7. 18 falso ab editoribus troch. septenarii numeris coercitum esse: nam si ceterorum analogiam sequemur, hic versus non potest non iamb. octonarius esse:

Sed éccam Thaidem ípsam video. || Quám mox inruimús? || Mane.

II. 1.

Transitus nullo proprio metro distinctus est, ubi versus etiam post transitum variantur: Haut. I. 2. 5 (in troch. ord.), Hec. IV. 1. 6 (in troch. ord.), Phorm. V. 1. 12 (in troch. ord.), Eun. IV. 3. 8 (in troch.-iamb. ord.), Andr. IV. 1. 15 (in troch.-iamb. ord.), Hec. V. 1. 5 (in iamb. ord.).

II. 2.

Transitus proprio metro insignitus est, ubi alii post transitum versus leguntur: Andr. II. 1. 18 (senar. inter var. vers. et troch. sept.), Hec. V. 4. 14—18 (sen. inter var. vers. et iamb. oct.), Phorm. III. 1. 20 (troch. sept inter var. vers. et var. vers.), Hec. IV. 3. 6 (sen. inter var. vers. et var. vers. cf. cap. III. 4. pg. 35), Phorm. II. 1. 22—23 (troch. sept. inter var. vers. et sen.), Ad. III. 2. 22 (iamb. oct. inter var. vers. et troch. sept.), Hec. IV. 3. 16 (iamb. sept. inter var. vers. et sen.), Eun. III. 5. 9—13 (iamb. sept. inter var. vers. et iamb. oct.): hi versus sic libro A traduntur:

Adíbo atque ab eo grátiam hanc, quam vídeo velle, inı́bo.
Chaereá, quid est quod sic géstis? quidve síbi hic vestitus quaérit?
Quid est quod laetus sis? quid tibi vis? satin sanus? quid me adspectans?
Quid taces? || O festus dies hominis, amice, salve:
Nemost hominum, quem ego nunciam magis cuperem videre quam te.

In versu 11 libri fere omnes *laetus sis* tradiderunt: sed ex an-

tecedenti versu colligi licet, indicativum in hoc versu praeferendum esse:

Quid ést quod laetus's? quíd tibi vis? satin sánus's? quid me adspéctas?

In versu 12 genetivus *hominis*, qui omnibus libris traditus est, multa criticorum molimina excitavit: sed rectissime Conradtius ad explicationem Donati rediit, qui ad hunc locum scripsit: *sic dicitur etiam scelus hominis*: *Ennius*: *o pietas animi*. At versus sicut libris traditur legi nequit: nam iusto brevior est, ut sequens iusto longior. Utrumque autem ex corruptela expediemus, si primam vocem sequentis versus in fine antecedentis reposuerimus:

Quid táces? || O festus díes hominis, amíce, salve: némost
Hominúm, quem ego nunciám magis cuperém videre quám te.

Displicet autem ictus, puo *hominis* feritur, quem nescio an apte fugiamus vocibus *festus* et *dies* inversis:

Quid táces? || O dies festús hominis, amíce, salve: némost.

II. 3.

Transitus iisdem numeris atque antecedentes cantici versus inclusus est, ubi alii post transitum versus ponuntur: Haut. V. 3. 21, Andr. I. 5. 32—34, Hec. III. 1. 34—36, Ad. IV. 1. 21—23.

Quodsi constat transitum propriis numeris hic illic a poeta inclusum esse, nulli mirum videatur, quod Terentius etiam longius progressus in transitu membra quaedam variatis versibus astricta posuit. In Andriae III. 5 scaena post iamb. octonarios troch. ordo legitur, quo ad troch. septenarios transitur (cf. pg. 10 sq.):

Vísus sum. || Ehodum, bóne vir, quid ais? víden me tuis consíliis miserum
'Impeditum esse? || 'At iam expediam. || Expédies? || Certe, Pámphile.
Nempe út modo. || Immo mélius spero. || Oh tíbi ego ut credam, fúrcifer?

Tu rem ímpeditam et pérditam restítuas? hem, quo frétus sim,
Qui me hódie ex tranquilíssuma re cóniecisti in núptias.

Similiter Terentius in Eunuchi II. 3 scaena troch. ordinem variatis versibus subiunxit, quo ad continuatos iamb. octonarios transiret:

Séd eccum Parmenónem. salve. || Quíd tu es tristis? quídve es alacris?
'Unde is? || Egone? néscio hercle, néque unde eam neque quórsum eam:
Ita prórsum oblitus súm mei.

Videmus igitur Terentium in transitu formando parum sibi constitisse: nam et in continuatis et in variatis versibus transitum modo aliis modo iisdem numeris atque circumstantes versus coercuit: velut in Andr. I. 4 scaena trochaicis septenariis duo iambicos octonarios addidit, quibus ad versus variatos transiret, cum in Eun. V. 7 scaena trochaicis septenariis eosdem trochaicos septenarios subiungeret, quibus ad variatos versus sequentis scaenae transgrederetur. Atque in Hec. V. 4 scaena post trochaicos ordines senarios in transitu posuit, quibus ad continuatos iambicos octonarios transiret, cum in Hec. III. 1 scaena transitum, quo a trochaicis ordinibus ad continuatos iambicos octonarios progrederetur, antecedentibus cantici versibus adaptaret.

Quare recte statuemus Terentium in transitu non ideo propriis numeris usum esse, ut legentes ab aliis ad alios numeros traduceret, sed ut ad novam et insignem actionis partem transgrediens spectantium animos attentos ac suspensos teneret.

VITA.

Fr. H. Schlee natus sum a. d. VI Cal. Mart. a. h. s. LIV in vico Marchico Neu-Hardenberg patre Ludovico matre Ludovicia e gente Mahlendorff, quos adhuc superstites summa qua decet pietate colo. Fide initiatus sum evangelica. Per primos pueritiae annos privata patris et A. Griseri, viri maxime reverendi, disciplina institutus a. h. s. LXVIII in quartam classem ludi civici Fürstenvaldensis receptus sum, ubi cum aliorum, tum Dr. Schultii institutione, benevolentia, liberalitate usus sum, cui honestissimo viro me maximam gratiam habere semperque habiturum pio animo profiteor. A. h. s. LXX alumnis gymnasii regii Joachimici ascriptus sum, in quo per novies sex menses disciplina eruditus sum praestantissimorum praeceptorum, Schaperi, Hercheri, aliorum, qui etiam post discessum meum semper studiorum meorum fautores se praebuerunt. Maturitatis testimonium adeptus universitatem Berolinensem adii atque per octies sex menses scholas frequentavi doctissimorum virorum Curtii, Erdmanni, Hübneri, Kirchhoffii, Müllenhoffii, Paulseni, Treitschkii, Vahleni, Weissii, Zelleri. Seminarii philologi per ter sex menses sodales Kirchhoffii et Vahleni doctrina fructus sum. Denique Kirchhoffius, Müllenhoffius, Vahlenus ad societates suas aditum mihi benigne concesserunt. His viris omnibus, ut egregia sunt eorum de me merita, gratias ago candidissimas.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

Ter. Ad. V. 8. 31—34 sic poetam scripsisse puto:

hanc maculam nós decet
Effúgere: dictumst vére et re ipsa fieri oportet. Ae. Mí pater.
Mi. Quid ístic? dabitur quándoquidem hic volt. De. Gaúdeo. Ae. O mí pater.
De. Nunc tú mihi germánus pariter és et animo et córpore.

Ter. Hec. V. 2. 1—2 legendum est:

Nihil apud mé tibi
Defíeri patiar, quín quod opus sit bénigne praebeátur.

Plaut. Truc. IV. 3. 1 scribendum est:

Tíbi egon maledicam aút tibi autem málevelim? e. q. s.

Plaut. Truc. I. 1. 16 scribendum est:

Si iníerit rete píscis, ne effugiát cavet.

Plaut. Bacch. V. 2. 4—5 scribendum est:

Pastor hárum
Dormít quom hac eúnt a pecú palitántes.

Sophocl. Ai. 880 scribendum est ποῶν, libri θεῶν.

C. Iulium Romanum grammaticum duos libros composuisse contendo, alterum de analogia, alterum quem ἀφορμάς inscripsit.